



D. W. 40

TRIENNII
SUPERIORUM REGULARIUM
Funiculo triplici
MENSURATUM

seu

SERMONES ASCETICI

pro Vigilia Nativitatis Dni Nostri JESU
Xti, Renovatione Votorū Religiosorum
Cæna Dñi: pro Vigilijs item Festorū Bea-
tissimæ M. V. quæ ab Ecclesia cultu spe-
cialiori celebrantur, utробique

TRINI

per

RP. BONAVENTURAM MERESS
S. Ordinis Monachorum S. PAULI primi
Eremitæ Monasterij Noviciatus ad S. Bar-
baram V. & M. Częstochoviæ Priorem

ENUCLEATI

Anno, quō Nucleus Cælestis, amaritudi-
ni corticis naturæ humanæ, terminos

Cæna fibra posuit 1775.

Typis Clari Montis Częstochoviensis

Secunda M DCC LXX VI. Tideron
Ordo L. 23. Actua 23.

Fili hominis speculatorum te
dedi domui Iṣrāēl, & audies de ore
meo Verbum, & annunciabis eis ex
me. *Ezech.* 3. 17.

PRO.

PROTESTATIO

AUTHORIS.

UNica mea fore profiteor desideria, ut nè in minimo etiam, contraveniam, quæ Sancta, Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia hucusquè præscripsit, & in futurum præscribet; eatenus præsens Opusculum illius altissimo Judicio (quod profundè veneror) substerno: in quo quidquid approbaverit, ego quoquè approbo; quidquid rejicerit, etiam ego rejicio.

Fr. Bonaventura.

FACUL-

)²(

FACULTAS

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS PRÆLATI INFULATI.

O Pus asceticum à RP. Bonaventura Meress Ordinis nostri professo conscriptum, & à binis Censoribus Theologæ Doctoribus personis ad hunc finem Nominatis probatum, ut pro Spirituali Regularium profectu Typis vulgariter possit, facultatem (quoad in nobis est) harum tenore concedimus in Nomine Domini. Viennæ 2. 8bris 1775.

PAULUS PRIOR GENERALIS
mpp.

CENSURA THEOLOGORUM ORDINIS.

M Andatis Reverendissimi Patris Pauli Eszterhazy Ordinis Nostri Generalis, Commissarij Apostolici, Prælati Infulati, S. T. Dris Satistaciendo: Librum cui Titulus *Triennium Superiorum Regularium* viginti septem asceticos complectentem Sermones, opera & labore RP. Bonaventuræ Meress Monasterij Novitiatus ad S. Barbaram Virg. & Martyrem Prioris digestum, legi & examinavi, Ubi cum nihil Fidei, ac Ecclesiæ sensui adversum cognoverim, quin-

nimo Religiosum Authoris zelum, ac pium cun-
ctos nonnisi ad profectum & Spiritum Regula-
res ducentem observaverim conatum Proinde
(Salvo jure Ordinarij) præfatus Liber ut ty-
pis mandetur, judicio meo comprobo. Datt.
Częstochoviæ in Monasterio ad S. Barbaram
Die 31. Augusti, Annò 1775.

Pr. Georgius Miroszewski Ords S
Pauli pr: Eremiæ Provinciæ Po
lonæ Vicarius S. T. Dr.
mpp.

AD Mandatum Reverendissimi Patris Pauli E-
szterhazy, Generalis Ordinis Nostri, Præ-
lati Insulati Librum cui Titulus: *Triennium Su-
periorum Regularium &c.* elaboratum Operâ RP.
Bonaventuræ Merens Monasterij Novitiatus ad
S. Barbaram V. & M. Prioris perlegi: Nihilq;
in Eo Fidei contrarium, immo omnia consona
sensu S. Ecclesiæ contineri depræhendi. Ast
insuper hos Sermones Asceticos Superiorum
Regularium magnæ commoditati, Spiritualiq;
Utilitati multum deservire censeo: Quare ut
præfarem Opus Typis mandetur dignum judi-
co: Salvo consensu Eorum Quorum de Jure &c.
Datum in Monasterio Novitiatus Częstochoviæ
ad S. Barbaram V. & M. A.D. 1775. Die 22.
Augusti.

Fr. Raphaël Psarski Ejusdem Ordinis
S.T.D. Supprior & Magister No-
vitiorum.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARIJ.

Ternos in Vigilias Festorum Salvatoris & Beatæ Sermones, doctissimo calamo A.R.P. Bonaventuræ Meret Prioris Conventus Monachorum S. Pauli primi Eremitæ ad S. Barbaram Clari Montis elucubratos, vidi, legi, examinavi; omnia & fervorem spiritus religiosi Authoris sui declarant & solidam eruditionem cum pietate conjunctam produnt. Nihil verò in ijs reperi, quod Sacro Sanctæ Fidei Orthodoxæ Romanæ, aut bonis moribus adversum sit. Opus ut lucem publicam videat, dignum censeo. Datt. in Collegio Majori Universitatis Cracoviensis Annō Dñi 1775. Die 8va Mensis Novembris.

M. JOSEPHUS ALOYSIUS PUTANOWICZ S. Thæ Dr. & Professor, Eccl. Cath. Plocensis Canonicus, Colleg. SS.OO. Praepositus Paroch. Opatovecen. Curatus. Librorum in Diæcesi Crac. Censor mpp.

Ad Candidum Lectorem.

Memeni me iam Tibi innuisse Can-
dide Lector in Præfatione ad
Te, Opusculi, cui Titulum præfixi:
Holocausta Medullatum &c. oti-
um diaboli pulvinar fore; hinc, quod
mihi ab alijs, superfuerat temporis,
lubens illud præsentii Opellæ, Tuæ
commoditati studens, & fortè satisfa-
cturus, impendi. Complectitur Ser-
mones pro Vigilia Nativitatis D. N.
J. C. Renovatione Votorum, Cæ-
na Domini: pro Vigilijs item Festo-
rum Beatissimæ Matris, quæ ab Ec-
clesia solemniter celebrantur, utro-
bique trinos, & succinços.

Loquantur alij (verba sunt D.
Legislatoris nostri Augustini l. 4. de
doctr:


doctr. Christian.) meros flores, & folia, ego humili stylo, & tenui modulor avena: ita tamen, ut si tuo spiritu, qui duntaxat decet Religiosum, animeatur, vincet teste Martiali l. 7. Epig. 3. avena tubas.

Et dum Zoili dentes, Momi ocu-
los, Mastigophori manus perhorresco,
occurrunt verba Sedulij in Bibliothe-
ca PP. l. 418. Proferant sua, si qui
carpere nituntur aliena. Promptius
est judicare, quam facere, & de ca-
strensi munimine pericula securo vul-
tu conspicere. *Vel strictim illud Mar-*
cialis l. 1. epig. 92. ad Lelium: Car-
pere vel noli nostra, vel ede tua.

Interim Te optimè valere cupio,
qui, quæ potui, scripsi, Tuus cetero-
quin totus.

Fr. Bonaventura.

Sermo



Sermo I. pro Vigilia Nativitatis Domini nostri JESU Christi.

*Evangelizo vobis gaudium magnum,
quod erit omni populo. Luc. cap.
2. v. 10.*

I.  Si quando, tunc certe
luce hodierna minime fas est locum tristitiae fore; equidem gaudia nobis
A cæli-

cælitùs nuntiantur; lætitia imperatur.
Evangelizo vobis gaudium magnum,
quod erit omni populo. Apropinquat
 jam natalis vitæ; non longè abest
 dies redemptionis novæ, reparati-
 onis antiquæ, felicitatis æternæ: cra-
 stina die per totum mundum melli-
 flui facti sient cæli; delebitur iniqui-
 tas terræ, & regnabit super nos Sal-
 vator mundi. *Quod pro more, ut*
 assolet, D. Legislator noster Augu-
 stinus expendens in subsequam meritò
 prorumpit verba: *Dulcis dies, verè*
dulcis dies. ☉ *cunctis pænitentibus ve-*
niam portans. *Promitto vobis filoli,*
 ☉ *certus sum;* quia *in hac die si quis*
ex corde pænituerit, ☉ *ad vomitum*
peccati reversus non fuerit; quodcun-
 què *petierit,* *dabitur ei tantum in*
fide non dubitet. *Hodie totius mundi*
peccatum tollitur, ☉ *peccator despe-*
 ret!

ret: Ita Augustinus serm: 3. in Nat.
D: nobis verò quibus potissimum
de fontibus lætandum, exultandum-
vè, præsenti adducam discursu. A.
M. D. G.

2. Primum fontem lætitiae, &
exultationis crastina nobis aperit
dies; quia in illa nascetur nobis Re-
demptor, qui exvinculabit nos de
durissima antiqui illius serpentis, fer-
vitute capitalis humani generis
hostis dæmonis nempe & pec-
cati. Et verò: nonne lachryma-
bilis fuit olim Gentis illius Hebrææ
servitus in Ægypto, qnâ à Rege ty-
ranico præmebatur & opprimeba-
tur operibus lutti, & laterum facien-
dorum, non solum, sed & palearum
conquirendarum; mercedis verò
locô sæpius objurgabatur, in fineque
laboris crebro flagellis cædebatur?

4

Plus dicā: O quām difficile erat to-
leratu, dū masculi illius à Pharaone
singuli, & singuli jugulabantur; neca-
bantur; occidebantur edictō latō! At-
que adeò quemadmodum gens illa
Hebræorum in tantis suis afflictio-
nibus sinè intermissione cælos pul-
sabat, ut tandem ab illis liberaretur,
nequè in cassum; enim verò liberato-
rem, seu, ut Proto-Martyr Stepha-
nus Act. 7. 35. inquit, Redemptorem
Moysen cum manu Angeli, qui appa-
ruit ei in rubo, obtinuit, per quem
de illa miseriæ spelunca mirabili
DEI potentia educta est; ita evenit
generi humano, imò feliciùs, for-
tunaciùsque multò. Posteaquam e-
nim vedit DEUS ærumnas illius,
gemitusque, & clamores illorum
veterum patrum Rorate cæli de super,
C nubes pluant iustū, audivit, cogitans

cogi-

5

cogitavit, ut quem condiderat sal-
varet per Filium suum, eriperetquè
non de laterum fornace, & officina,
ast de fornace gehennæ ; non de
corporum, ast de animarum capti-
vitate. Quod ipsum est, quod Pro-
pheta Domini Isaias cap. 52 v. 4.
olim vaticinabatur dicens: *In Ægy-
ptum descendit populus meus in prin-
cipio, ut colonus esset ibi; ¶ Assur*
absquè illa causa calumniatus est
eum. Moxquè versu videlicet sub-
sequo addit: *Et nunquid mihi est*
hic, dicit Dominus, quoniam ablatus
est populus meus gratis? Dominatores
eius iniquè agunt dicit Dominus, ¶
iugiter tota die nomen meum blasphe-
matur. Jam verò v. 6. taliter con-
cludit: *Propter quod sciet populus*
meus nomen meum in die illa: quia e-
go ipse, qui loquebar, ecce adsum.

Jam

Jam nunc pensandum venit, quam-
tam lætandi causam hodie habemus,
cum jam non longè absit, quem
proni adorabimus Liberatorem no-
strum, qui pectus suum opponet, ut
eruat nos de potestate dæmonis,
ipsumvè in abyssum demergat pro-
fundì sempiterni.

3. Secundum fontem lætitiae,
& exultationis cuncta nobis præ-
bet dies; quia in hac nasceretur nobis
fideiussor, qui omnia nostra debita,
& quoscunquè demum pæharum re-
atus in se suscipiet gratiosè, dirè in
corpore suo luiturus. Revera nuspi-
am tale, aut huic simile in ante be-
neficium terra vidit. Nam quis di-
cet, eum, qui ex carcere, aut capti-
vitate dimittitur, eō ipsō ab omni
debito liberum fore! ast lytrum sol-
vere cogitur, impensas, & damna
refar-

resarcire. Cogitemus quantō gau-
diō perfunderetur vir cæteroquin
honestus propter debita in vincula
conjectus, si se illi offeret talis, qui
omne illius debitum in se susciperet
ex suo soluturus, sed procul, & de
ultimis finibus pretium ejusmodi
benefactoris. Ast Filius DEI à nobis
expectandus non tantum nos erri-
piet è carcere tenebrarum, verum
etiam, in se suscipiet pænæ nostræ
reatum. E! quis erit, qui tam gra-
tum nuncium animō non suscipiat
lætō! Enimverò: *Unusquisque no-
strum*, ut benè advertit antiquissi-
mus ille Scriptorum Origenes hom.
13. in Gen. in his, quæ delinquit, de-
bitor efficitur, *&* peccati sui literas
scribit: atque adeò tamquam per chi-
rographum se ultrò citroquè ad o-
mnes pænas obligat DEO. Ille au-
tem,

tem, qui veniens veniet, & non tardabit, cuius manè gloriam spectare nobis licebit, Christus JESUS, veniet donans nobis omnia delicta; delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum feret de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traducet confidenter palam triumphans nos in se metipso. Coloss: 2. 13. & sequ. Aurō cedrōquè quidem notanda Hadriani Imperatoris liberalitas, cuius meminit Pontan. cap 3. de liberal. quando 27. millones populo Romano, quos privatis debitoribus, non nullisquè Provincijs fiscō debebat, condonavit, & insuper illius syngraphas, nè aliquando repeterentur, comburi curavit spectatore assistente in Traiani foro. Verū debitum hoc-

hocce pécuniarium erat, quod illius tantum fortunas tangebat, non vero sanguinem exposcebat, poteratque sensim, & sensim pacificari; ast non illò modò debitum apud DEUM contractum peccatorum, quod nullus solvere valet, & vitam concernit. Cras itaque veniet talis, qui valebit hoc debitum remittere toti mundo, ignequè charitatis suæ syngraphas omnes comburere, atquè in publico Calvariæ monte affigere cruci.

4. Tertium fontem lætitiae, & exultationis crastina nobis aperit dies, quia in illa nascetur nobis Medicus cælestis, qui cunctas infirmitates nostras sanabit, curabitque cum efficacia, quoties in illas passi fuerimus recidivam: sanabit absque prætensione mercedis, absque cruentatu,

ciatu; absq[ue] ustione, scissione, vel
amara potionē, absq[ue] ulla deni-
quē dubitatione, absq[ue] mora, abs-
quē hæsitatione. *Quis jam nunc æ-*
ger ad talis medici adventum læti-
tiæ, & exultationis melos non du-
cet! animū non excitabit! Illum
ipsum medicum luce crafina præ-
stolamur venturum, qui apud suum
Evangelistam Matthæum cap. 9. v.
12. dicit: *Non est opus valentibus*
Medicis: & apud Lucam cap. 4. v.
23. *Medice cura te ipsum.* Hic, hic
Medicus cælitus nobis dandus sin-
gulos animæ nostræ morbos sanabit
non semel duntaxat, sed roties,
quoties in illos fuerimus relapsi; &
quidem suis sumptibus nullatenus
vero nostris, sanguine videlicet suo
pretiosissimo, dummodo ei nos cu-
ran.

randos fideliter concredamus. Re-
vera poste aquam Antonius Musa
Medicus peritissimus, Orbis univer-
si caput Romam (ubi in ante 400.
per annos ullus medicus reperieba-
tur) venit, & ipsum Augustum Im-
peratorem , aliosquè feliciter cura-
vit non mediocriter honoratus fuit:
donarij enim locò datus ei fuit an-
nulus aureus insigne nobilitatis; ere-
ctus , dedicatusquè fuit in gratiam
illius colossus alabastrinus in foro;
exemptus denique illicò fuit ab o-
mni onere civili, multaque pecuniā
locupletatus. Potiori nos venerati-
one nostrum Medicum suscipere
debemus venturum, qui utpote nul-
lum ab exordio mundi hucusquè
habuimus talem, qui langvores no-
stros portaret, & dolores nostros
ferret Maximum olim Divinæ pie-
tatis

tatis argumentum, quum Isaias
DEO jubente venerit ad Ezechiam
Regem à morbo lethali sanandum;
majus adhuc, quod Raphaël Archangelus
ad Tobiam missus sit, à cæci-
tate curandum; ast tametsi cuncti
Angelorum chori ad ipsum directi
fuissent, neutiquam tantum fuisset,
quantum est ipsum Regem Angelo-
rum ad nos venire.

5. Quartum fontem lætitiae, &
exultationis nobis crastina eruit di-
es, quia in hac accepturi sumus ali-
torem, & Patrem familias illum,
qui in via virtutum nos confortabit,
& saturabit pane, non tam terreno,
quam cælesti, qui erit partim verbū
DEI, partim insignia, utinam ab o-
mnibus imitanda virtutis omnimo-
dæ exemplorum specimina, quæ in
illo, & sequacibus ejus ut nitida

cry-

crystallus elucebunt: partim Sacra-
menta, signanter Augustissimum E-
ucharistiæ Sacramentum. Et quis
jam absquè hoc pane sustinebit ita,
ut non deficiat in via perfectionis:
Providit quondam Joseph Ægypto
per septenium fame laboranti panē,
adjacentibusquè Provincijs, & hanc
ob causam *Salvator mundi* meruit
audire, & promulgari, veluti legere
est Gen. 41. 45. Expressus erat in
Joseph, Christi, quem venturum
læti præstolamur, typus, qui non
jam unius Ægypti, & vicinarum re-
gionum erit Salvator verissimus, ast
totius mundi: cui quoquè aptissimè
conveniet nomenclatura, quam in-
nuit S. Codex de Joseph pronunci-
atam à præcone clamante *Abrech*,
quod idem est ex Ægyptiaco, ac
fleete genu: H̄braica autem versio

juxa

juxta Dalmatam purpuratum D. Hieronymum vult intelligere tenerum Patrem. Et quis (amabo) est iste tener Pater, si non nasciturus Christus infans, eapropter luci in Ægypto dandus, hoc est, in domo panis; equidem mundum saturabit, & ex omni implebit panibus parte, constituetque Ecclesiam domum panis; qui & in præsepio reclinabitur, ut non justorum solum, ast peccatorum quoquè tamquam brutorum panem se fore indigitaret. Eapropter si post longiorem famem abunda panum subministracione seu per messem, seu per alia subsidia, sublatam, & abolitam populus in lætitiam solet effundi, eo æquiùs hodie nobis jubilandum ob iminentem tanti Salvatoris adventum, qui non moritura corpora, ast immortales animas cælesti

Iestī pabulabit pane. Verbō, ut complectar plura, die crastina nascetur nobis Princeps pacis, qui pacem adferet mundo: Rex pacificus, prout in Vesperis hodie canet Ecclesia, cuius vultum desiderat universa terra. Nihil ferme magis optat sibi mundus, quam unicam pacem. Enimverò canit Póeta: Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Istam ei secumferet venturus Messias, de quo Genij illi annuntiabunt cælestes: Gloria in excelsis DÉO, & in terra pax hominibus.

6. Crastina, inquam, die, nascetur nobis Servator ille, qui post hujus miseri sæculi ærumnas servabit nos ab interitu, & perducet salvos, & incolumes ad vitam beatam, & æternam. Ultra quod nîl video ampli-

amplius restare. Quis enim omnium nostrum principalior, & speciалиor finis, præterquam, ut olim ab omni miseria soluti æternū felices inveniamur? Enī jam prospicit per cancellos, qui nobis hoc beneficium præstare & poterit, & desiderabit. Fuit quidem olim Nōe consolator, & Servator quidam generis humani, dum in arca sua, vel in octo personis id servavit, ast ad vitam duntaxat miseram solummodo, & temporalem; venturus verò noster Servator ita nos servabit, & salvabit, conservabitquè in Ecclesiæ suæ Arca, ut nequaquam mortem videamus æternam; imo potius ad vitam in ea transferet, & transvehet omnibus bonis abundantem, singulis malis carentem. Quamvis enimverò defacto habitemus in corpore mortali,

tali, scimus nihilominus quoniam si
terrestris domus nostra huius habi-
tationis dissolvatur, quod ædificatio-
nem ex DEO habemus, domum non
manu factam, æternam in cælis, in-
quit Doctor Gentium Paulus 2. Cor.

5. I.

7. Modò jam nihil restat,
quam, ut ruminemus tantisper quan-
tas, quamq; multiplices habeamus
lætitia, & exultationis rationes luce
hodierna. Revera vel una sufficiens
esse deberet ex allatis ad choros in-
stituendos, & æviternas DEO gra-
tias referendas: ast quoniam nos tot,
& tantis gratijs celebrandis mini-
mè sufficientes sumus, invitamus ad
supremi Numinis laudes nobiscum
decantandas imprimis illos cælestes
Spiritus, quorum fratres cras esse
incipiemus, deinde creaturas uni-

B

ver-

versas, dicamusque: Benedicte o-
mnia opera Domini Domino, laudate,
Et superexaltate eum in s̄ecula s̄ecu-
lorum. Amen.

Sermo II. pro eadem Vigilia.

Omnes, qui audierunt mirati sunt.
Luc. 2. 18.

I. **C**ogitanti mihi præsentem or-
diri sermonem occurrit visio
illa facta de nocte Prophetæ Da-
nièli, quâ datum illi fuit aspicere
venientem cum nubibus cæli tam-
quam filium hominis, & quidem ut
notat Chaldaicus textus, Kebar e-
nos, id est, ut exponit Cor. à Lap.
tamquam filium hominis miseris, æ-
rumnosi, morti obnoxij, & relictis o-
mni oblivioni. Ast ubi hic pervenit

ad

ad antiquum dierum, oblatusquè fu-
isset eidem, data est illi illico pote-
stas, & honor, & regnum, quod
non corruptetur. Qua visione tan-
tus stupor, horrorquè invasit dictū
Propheten, ut diceret: *Horruit spi-
ritus meus, ego Daniēl territus sum
in his, & visiones capitis mei contur-
baverunt me.* Dan. 7. 15. Itaque ac-
cessit ad unum de afflentibus, &
veritatem quæsivit ex eo de omni-
bus his diligenter. Atque adeò quæ
Daniēl tam longè prævidit tanto
cum timore, & stupore, eum crasti-
na luce intuebimur palam, DEI fi-
lium de cælo venientem, aſt nubi-
bus carnis humanæ obvelatum, quin
imò & miserum, ærumnosum, mo-
riturum, atquè in stabulo Bethleem
traditum oblivioni. *Quis hic hor-
rore, & stupore non corripiatur au-*

diens DEUM abjectum, pauperem, contemptum, oblivioni datum, jacentem in præsepio, pannis involutum! Quis non miretur, prout defacto omnes miramur, nequè sufficierter demirari valemus! Eapropter quemadmodum memoratus Domini Propheta accessit ad unum de astantibus, & veritatem illius apparitionis inquisivit; taliter nos faciemus, conveniemus astantes ad præsepe Christi, & indagabimus rationes quarenam tam pauper, & specie abjecta ad nos venire intendat! A. M. D. G.

2. Quæ ratio quod adeò pauper, & specie prorsus abjecta ad nos venire intendat Verbum illud Theandricum Christus JESUS, inquiramus ex Maria, & Josepho, & ab his aliud certe haud accipiemus respon-

responsum, quām sic eum venire intendere, ut pauperibus solatium ferat. Enimverò pauperes in mundo, olim præsertim, despiciui, & probro erant homines inter, uti & ipsa paupertas, adeò quòd mundus illa seduceretur opinione, pauperes nequaquam à DEO curari. Qui tamen error gravissimus est; cùm pauperes ad mundi conservationem omnino necessarij sunt in numero maximo quidem, nequè remissio rem curam habet supremum Numen pauperis, quām divitis Psalmista Psal. 10. 5. attestante, & dicente: *Oculi eius in pauperem respiciunt, inveniunturquè ordinariè minus præ divitibus vitijs implicati.* Quia proin tali pauperes subjacent crysi, ideo DEI Filius seligit pauperes parentes, & pauper fieri vult, ut detur

tur nobis nōsse pauperes haud spernendos, imò potius honore prosequendos, ac fovendos, nequè paupertatem fore probrum, aut pñnam à DEO inflictam, ast ipsum exercitium virtutis. Hinc jam pauperes è priore luto, & fôrdibus suis emergere, & in honore esse incipient, adeò quòd plerique, imò plurimi nobilissimâ etiam prosapiâ prognati ad imitationem Christi spretis facultatibus suis amplectentur paupertatem. Eatenus pauperibus pastori bus adventus sui gaudium intimari jubebit Christus, eosquè præ Regibus ad præsepe suum vocari. Sic nimirum implebitur, quod Sanctissima Mater ejus cecinit: *Deposuit potentes de sede, exaltavit humiles.* Luc. i. 52. Quò autem pactô id efficiets

cietis paupere habitu, & statu per ipsum assumpto duntaxat. Hinc per ipsum adeò assurgent pauperes, ut jam in honore sint tamquam aulici Christi, in quibus ipse latebit.

3. Inquiramus ex stabulo cur Christus tam pauper ad nos venire intendat, & hoc ex templo responsum nobis dabit, sic eum venire intendere, ut mundum à via perditonis revocaret. Videt ergo DEI Filius è cælo, homines non quærere nisi comoditates suas, carni, & sanguini arridentes, ut splendide habent, niteat supellex, mensa habeat lepores; diu, svaviterquè dormiant; numrum numo addant, current favores, & honores, contraria his perhorescant, fugiantvè. Quid itaque Christus contrariam omnino viam arripere; ad stabulum divertere, & ea,

ea, quæ mundus horret, & subterfugit amplecti: humilitatem, patientiam, paupertatem, vitæ asperitatem; ut hoc exemplo suo nos ad sui sequelam, & tutiorem salutis viam alliceret, in votis habet. Etenim quæ admodum S. Athanasius ab Alexandria exul prospero vento per flumen Nili navigans quum consiperet insidiatores post se missos jam jam adesse, sequè in periculo una cum navi versari, navim invertit, & retrogrado, contrarioquè cursu, ac flumine adverso insidiatoribus ob viam venit, taliquè modo se, vitamquæ suam salvavit: non aliter quoquè Christus facere intendit, equidem videndo in mundo secundo prosperitatum flumine summopere periclitari, & in salutis, homines incidere, prædones; viam mundo con-

tra-

trariam eligere parat, adversum na-
vigandi flumen assumere intendit,
ut nos ildem arripere edoceat, iter.

4 Indagemos ex præsepi, qua-
renam Christus tam pauper, & mi-
ser ad nos venire intendat, & dicet
nobis, ut humilitatem, viam dunca-
xat cæli, nobis in aperto monstraret.
Fateor. ego quidem hocce naturam
dedisse generi humano parentem,
quod semper ascendere conetur;
quia videlicet animum cælestem, ad
alta, & ad æternam felicitatem na-
tum habet: ast hanc nequaquam
quærit viâ rectâ, sed deviâ proflus,
dum videlicet appetit honores, ti-
tulos solicite quærit, alios cubito
trudit, ut se introtrudat, quo alijs
pluris habeatur. Et taliter ventum
sequitur, & confusionem, curisquè
potius submittit cervicem, quam
feli-

felicitati. Verbum proin DEI In-
 carnatum viam nobis ad illam feli-
 citatem æviternam volendo demon-
 strare , en ubi primò figet pedem
 non in Imperatoris, Regis, aut Prin-
 cipis cujuspiam palatio, sed in præ-
 sepi bovis , & asini disco. Et quis
 in posterum audebit sapere altum ,
 dum cernet Filium DEI taliter hu-
 miliatum quis non eligit recumbe-
 re in novissimo locò, cum DEI Fi-
 lius in vilissimo reponetur? Revera
 ab hinc nobis pro quotidiana Tes-
 sera verba Abbatis illius Claraval-
 lensis Bernardi, quæ ille habet serm.
 i. super missus est, meritò assumenda,
 & frequenter usurpanda: *Erubescet
 cinis, DEUS se humiliat, O tu te
 exaltas!*

5. Quid putamus nobis re-
 sponsorum fænum si illud interroga-
 veri-

verimus curnam tam pauper ad nos
venire intendat DEUS ! certè &
hoc asseret, ut nos doceat contem-
ptô mundô irmundo, falaci, & per-
verso sectari virtutem. Porro si fæ-
ni significatum habere velimus en
Domini Propheta Isaias cap. 40. v.
6. & 7. inquit: *Omnis caro fenum,*
& omnis gloria eius quasi flos agri.
Exsicatum est fenum, & cecidit flos.
Quod ipsum clamabit Christus in
præsepi, dum in substrato sibi fæno
repositus premet, & calcabit omnia,
& singula mundi bona; honores, o-
pes, voluptates, potentiam, velut
inania, & fluxa bona, quæ hodie
florent, cras secantur, aut per se a-
refscunt, & in clibanum mittuntur;
insimul quoquè virtutes solas, ac
merita tamquam vera, & solida bo-
na conquirenda; humilitatem deni-
què,

què, patientiam, obedientiam, abstinentiam, mortificationem docebit sestandam. Enimverò si non præfata, ast illa solida, & vera forent bona, revera cælicus ille mercator his relictis illa sibi compararet absquè dubio omni. Sternet ergo ita humiliatus, & proscribet mundum cum concupiscentijs suis ad eum prope modum, quâ Rudolphus Imperator quondam sub vili, & abjecta sua veste virtutem gestans, stravit, & confudit Ottogari superbiā Bohemorum Regis. Iste namquè dum fati Rudolphi vestem illam humilem splendide ornatus cum suis sæpius derisi habuisset, factum, ut à Rudolpho bellô vietus regnō exueretur Quâ, ut iterum potiretur, coacto ad se venire Imperator

sæpe

sæpe objicit: *Hæc mea vestis toties
derisa, deridentem deridere debet.*

6. Quæramus tandem ex pan-
nis cur tam pauper ad nos venire
gestiat DEUS, & hi reponent pro-
fectò, ut amorem suum erga genus
humanum in aperto monstraret. Et
verò coaluerat olim amicitia Jona-
tham, & Davidem inter fortunā im-
pares omnino. Evidem Jonathas
filius Regis Saul, videndo Domi-
num esse cum Davide: *Dilexit eum
sicut animam suam.* 1 Reg 18. 3.
Quò vero firmior, & sincerior amor
foret filium Regis, & pastorculum
inter, quid Jonathas agit: non pecu-
nias, aut quidpiam simile his dono
cedit Davidi, sed vestibus proprijs
usquè ad baltheum, militum insigne,
se expoliat, illasquè largitur suo
Davidi. Non mediocrem videmus
omnes

omnes inter DEI Filium, & genus
humanum disparitatem, tanto nihi-
lominus erga id fertur amore, ut se
gratiā illius exspoliare, nec nisi vi-
les panniculos sibi retinere; suas por-
ro vestes, sapientiam duntaxat, me-
rita, gratiam, gloriam usq; ad bal-
theum, id est, ad sui derisionem, &
contemptū transcribere paret. Qua-
re non immerito S. Thom. Vill.
conc. 3. de adv. Dom. subinfert di-
cens: *Hic hominis amor violentus*
cælum invasit, paradisi atrium poten-
ter irrupit, omnipotentem DEUM
carneis vinculis alligavit, universa
eius abstulit arma, & spolia eius di-
stribuit, divitias eius immensas ho-
mínibus dedit, & ipsum Maiestatis
Dominum - - ligatum hominibus
mancipavit.

7. Jam: quis hic amore Chri-
sti,

sti, in reciprocum amorem illius
non exardescat: quis non liquefiat
amore? *Quò pro me vilior, eò mihi
charior est,* inquit de illo Melleus
Doctor D. Bernardus serm. i. de
Epiphania. Quod ipsum & nos re-
plicemus: Quò vilior nostri amore
à nobis expectatur venturus, eò a-
pertiori pectore illum suscipiemus,
eritquè nobis charior, & manebit
semper. Amen.

Sermo III. pro eadem Vigilia.

Verbum caro factum est. Joann. i. 14.

i. VERbum DEI, de quo Apoc.

19. 13. Sapientia Patris de qua

i. Cor. i. 30. splendor Divinæ glo-

riæ, figura substantiæ ejus, de qua

Sap. 7. 26. Unigenitus DEI Patris

Fi-

Filius ab æterno, & usquæ in æternum, primogenitus omnis creaturæ de quo Coloss. i. 15. Verbum inquit DEI non factum, sed per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, hodie Caro factum est. Invisibile factum est visibile, imò palpabile, æternum, factum temporale; immensum factum est pusillum, parvulus enim natus est nobis. Verbum illud, cuius immensitatem mille orbes, aut cœli capere non poterant, Dominus super terram abbreviatum fecit. Omnipotens ille sermo, qui cuncta in cœlo, & terra creavit, nostra circumdatus est infirmitate. Immortalis factus est mortalis; maximum Numen, minimum nomen. Mirabile mysterium! & cur ita factum est? præsenti demonstrabo discursu. A. M. D. G.

2. Quod

2. Quòd Verbum Divinum
adèò sit abbreviatum, principalis
causa est, ut loqueretur nobis, quē-
admodum Scriptura ait Hebr. I. I.
& 2. Multifariam, multisquè modis
olim DEUS loquens patribus in Pro-
phetis, novissimè diebus istis locutus
est nobis in filio, qui, ut hominibus
loqueretur, homo factus est, ut ho-
mines ex eadem carne constitutos
suō colloquiō bearet. Omnes enim
creatüræ DEO erant obtemperan-
tes, & subjectæ, solus homo rebel-
lis, non potuit nisi ipsius Verbi
Divini à sua protervia, à sua duritie
revocari.

3. Sed dicetur mihi quid, &
quomodò loquitur nobis Neonatus
Infantulus Verbum infans! Verū
est, infans Verbum non tamen mu-
tum, equidem hoc etiam tacendo

C novit

novit loqui. Dicit enim S. Codex
 Act. i. i. *Cepit JESUS facere, & docere.* Ecce nunc cùm non potest
 dicitis, loquitur nobis, & docet nos
 factis, ut a principio statim sui ad-
 ventus in mundum suam nobis in-
 cipiat tradere doctrinam. Præsepe
 jacentis cathedra fuit docentis. Et
 quia mundum licet valde bonum à
 se creatum invenit ut stabulum im-
 mundum, homines insolentes, dis-
 solutos, & post carnem abeuntes
 repererat, elegit sibi stabulum pro
 templo, & pro cathedra præsepe.

4 Modò si non pedibus cor-
 poreis, saltem affectibus cordis
 transeamus usquè Bethleem, vide-
 amus hoc Verbum, quod factum
 est, quod factis, & non verbis nos
 admoneat quid agere, quidvè face-

re de-

35

re debeamus. Aperiamus aures, sed
magis præparemus corda, ut audi-
amus quid in nobis Dominus lo-
quatur. Simus ita resoluti corde, &
affectibus sicut quondam parvulus
Novitius in lege DEI Samuël de
quo Scriptura ait 1. Reg. 3. 3 qui
strenuè respondit voci divinæ di-
cens: *Loquere Domine, quia audit
servus tuus.* Nunc audiamus pati-
enter quid Neonatus parvulus no-
ster DEUS, & Dominus ex hac sua
præseptali cathedra loquatur nobis.
Ecce cùm suo infantili ore ad nos
loqui non valeat, per suum Cancel-
larium Joann. 1. 12. inquit: *Filij ho-
minum, quibus ego dedi potestas ē
filios DEI fieri, quousquè tandem
corde gravi, scilicet affectibus mun-
danis, carnalibus, terrenis gravato,
more animalium deorum respicitis,*

deorsum tenditis. Ecce descendit de cælo in terram, ut homines ad cælum facerem ascendere de terra. Loquitur per Paulum Apostolum Coloss. 3. 2. Ecce jaceo in terra, ut vos sursum corda habeatis, quæ sursum sunt queratis, cælestia sapientis, non quæ super terram. Corda vestra sint ievia levitate Spiritus S. sint spiritualia, sint cælestia, sint divina tamquam filiorum DEI.

5. Audiamus hoc infantile Verbum nobis quasi factis suis loquens: videte Filium DEI exinanitum in carne humana, stabulum inhabitantem, in medio duorum animalium positum, reclinatum in praesepio, pannis involutum, vagientem, lachrymis inundantem, frigore constrictum, fætore stabuli obseptum, paupertate pressum, omni commoditate privatum.

6. Quis

5. Quis ergo velit quærere
vanitatem, diligere jucunditatem,
affectare præminentiam, desiderare
commoditatem, prætendere solatia.
Et tamen secundum carnem hæc
sæpe affectamus, & quæ carni mo-
lestia hæc abhorremus, hæc detrecta-
mus. Nonne si quid duriusculum
occurrit, conquerimur; si quid aspe-
rum, murmuramus; si quid minus
commodum lamentamur? Et tamen
DEI Filius hæc elegit, hæc dilexit.
Contemptibilia DEUS, & ignobi-
lia elegit Paulo 1. Cor. 1. 27. atte-
stante. O gravitas cordis; o vanitas
mentis; o error intellectus illa post-
ponere; illa vereri; illa contempnere,
quæ Filius DEI nostri amore in se
suscepit, sibi elegit! Arguit nos
Coronatus Vates Psal. 94. 8. de
hac nostra duritia dum ait: Hodie,
dum

dum vocem Verbi Divini audiamus, non obduremus corda nostra. Ac si diceret: non exacerbemus DEUM nobis loquentem, nec contristemus spiritum ejus. Non simus generatio prava, atque perversa filij infideles.

7. Christus in præsepio delicata totus mortificatus carne, docet nos mortificare membra nostra per votum castitatis. Christus natus venit in mundum facere voluntatem Patris sui, docet nos viam salutis per exactam obedientiam, ut ad eum per obedientiam redeamus, à quo per inobedientiam recessimus. Christus humiliavit se descendens de cælo usquè ad terram, docet nos per gradus humilitatis religiosæ scandere usquè ad cælos. Christus nudus jacet, locum non habet ubi

caput

caput suum reclinet, hoc ipso nos docet, ut nuditatem ejus imitemur per exactam voti paupertatis observationem.

8. Suscipiamus ergo corde perfecto hanc Verbi Divini non loquentis, sed monstrantis doctrinam. Suscipiamus eam viva fide, armata spe, animosa charitate, ut ille, qui locorum intervallis non distinguitur, sed ubique est; ille incomprehensus, qui omnia comprehendit in anima nostra comprehendatur, & locum inveniat, quem illi amplum diversorum negavit. Humilitatis, paupertatis, castitatis, mansuetudinis, patientiae, abstinentiae, charitatis, obedientiae, devotionis, ac justitiae vestigia in nobis reperiatur, & sic per gratiam suam in nobis stabuletur. Amen.

Sermo

40

Sermo I. pro renovati- one Votorum in Festo S. Patris Pauli primi Eremitæ.

*Apertis thesauris suis obtulerunt ei
munera, aurum, thus, & myrrham.*
Matth. 2. 11.

I. **S**erenissimi orientis mundi Prin-
cipes, sancti tres potentissimi
Reges, qui stella duce, ac æterni
instinctu luminis relicts Regnorum
suorum delicijs, postpositis quibus-
vis viarum incommodis post diu-
turnum arduum iter unà cum mune-
ribus in Urbem adventârunt Bethle-
emiticam, ut Neonatum Salvato-
rem mundi, ut clementissimum ho-
minum adorarent Redemptorem,
ado-

adoratum suis etiam regalizarent,
& venerarentur muneribus. Apertis
thesauris &c. Et quidem non singuli
singula, sed quilibet eorum omnia
obtulit tria: aurum, thus, & myr-
ham. Nam quilibet eorum Neo-
natum Christum Dominum, & ve-
rum DEUM, & verum Regem, &
verè secundūm carnem mortalem
profitebatur hominem teste D. Bo-
naventura, qui inquit: *Quilibet illo-*
rū obtulit tria dona in maxima quan-
titate. Ast si magna liberalitas fuit
Sanctorum trium Regum erga Ne-
onatum Salvatorem, absquè dubio,
absquè comparatione longè major
fuit Neonati Salvatoris erga hos
Sanctos Reges, dum pro tempora-
libus æterna, pro corporalibus spiri-
tualia eis tribuit dona. Pro auro e-
nim

nim dedit eis fidem, sinè qua salvi esse non poterant; pro thure spem divinam; pro myrrha charitatem, cuius pretium sicut nemo novit, sic nemo taxare potest. Taceo honores, quibus nunc honorantur in terris, taceo gloriam, quâ æternum fruuntur in cælis.

2. Aniversariam votorum nostrorum oblationem facturi sumus RR. in Xsto Patres, Fratresquè amantissimi! non sinè mysterio, non sinè speciali causa, non alio tempore, sed intra solemnes Epiphaniatū ferias; nisi, ut nos etiam ad exemplum Sanctorum horum trium Regum, plusquam regia dona Regi Regum, Principi sæculorum, Christo JESU, Neonato Salvatori offeramus munera, scilicet: paupertatem, castitatem, & obedientiam.

Sed

Sed hoc est non sine gravi merore
mirandum, quod licet si quotannis
offeramus munera nostræ fragilita-
tis, aurum, per paupertatem; myr-
rhæm per castitatem; thus per obe-
dientiam, non tamen agnoscimus,
non videmus eam erga nos Neonati
Salvatoris Christi Domini liberali-
tatem, quam experti sunt Sancti tres
Reges. Frigida enim in nobis fi-
des, spes valde infirma, frigida, ac
tepidæ charitas. Et quare hoc nisi
fors ideo, quia in his votis, quæ
DEO offerimus, instabiles, incon-
stantes sumus. Tot jam vicibus vo-
vimus, tot annis renovavimus, nec
tamen semel adamussim observavi-
mus. Hanc ergo inconstantiam, ut
deinceps caveamus, dicam brevi-
ter quam utilis est in observatione
votorum nostrorum constantia, quæ
culpa-

culpabilis inconstantia. A. M. D. G.

3. Nulla virtus, nullum virtutis opus magnum est, vel esse potest apud DEUM, nisi debita in eo adsit perseverantia. Perseverantia est, si bonum, quod semel ceperis, nunquam de cætero dimittas. Inconstantis enim animi est indicium à sancte cæptis turpiter resilire. Ea propter svadet Sapiens Domini Eccles. II. 6. dicens: *Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua. Quem locum Scripturæ sacræ explanando Alvarez ait: mane seminas, si bene incipias; & vespere non cessas, si quod iam cepisti prosequaris per constantiam, & nunquam leviter derelinquis.*

4. Hanc in bono constantiam svadet nobis Mellifluus Doctor D. Bernardus, dum observantiam votorum

torum nostrorum florido lectulo
confert dicens: *Sicut lectulus flori-
dus est, cum ablatis marcidis floribus,
aliij recentes, & beneolentes succe-
dunt, ita conscientia nostra, munda,
& quasi florida est, quando perfectis
bonis actibus, & votis nostris, amore
DEI inflammati debitam prestatamus
constantiam, quasi primò vitam incho-
antes Religiosam.* Ad hanc ipsam
adhortatur nos Dominus dicens:
*Esto fidelis usque ad mortem, & dabo
tibi coronam vite.* Apoc. 2. 10.

5. Quid enim profuit Salo-
moni amabilem fuisse DEO, dum
postea abjiens post carnem fætidam
depravatus est? Quid profuit Ju-
dæ sacro Apostolorum adscribi col-
legio, quando postea sceleratissi-
mus factus est proditor Christi?
Non

Non salvavit eum Apostolatus, in quo constanter non perseveravit. Ecce, qui jam beatus dici poterat, de ipso beatitudinis limine ob suam inconstantiam in tam sacrâ vocatio- ne decidit ad tartara.

6. Non confidamus in nostris votis, quia non illa nos salvabunt, sed constans illorum observantia Parum, aut nihil profundit tenerrimi affectus, sancta desideria, inflammatâ proposita, si in effectum non deducantur, sed sunt velut folia fructu carentia, quæ brevi intervallo flante contrario decident vento. Otiosorum hoc est proprium plurima velle, multa desiderare, frequentia proponere, & nihil per socordiam deducere in effectum. Sed audiant tales quid loquatur Sapiens Prov. 21. 25. Desideria occidunt

dunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari. Non igitur emissio votorum nostrorum, non illorum frequens renovatio, sed constans illorum observantia nostram operatur salutem.

7. Hinc salutariter fecerunt Sancti tres Reges, quod in cæpto opere bono constanter perseveraverunt. Quamprimum enim videbunt stellam signum Neonati Salvatoris, illicò arripiebant iter ad quærendum, & adorandum eum. Habuerunt, nullus dubito, suos consiliarios, qui illis tam longum disvadebant iter. Habuerunt dilectas consortes ; charam sobolem, quæ illos lachrymis suis detinebant. Nihil horum remorari illos fecit, nequè potuit à cæpto sancto opere, properant festinanter, suis, ut faciant

faciant votis. Et quid nos! Ecce accedit nobis, quod pastoribus: viderunt illi cælestes ignes supra stabulum ubi Christus fuerat natus; fuerunt invitati ad Domini præsepe ab Angelis, venerunt, adoraverunt, suaquè rusticâ munera ei obtulerunt. Verum recedentes nihil amplius de Neonato cogitaverunt Salvatore. Pariter & nobiscum factum est: vidimus & nos stellam sicut Sancti tres Reges, divinam duntaxat inspirationem vocationis nostræ; venimus ad Religionem; obtulimus munera nostra, audeo dicere, quòd pretiosiora, quam Sancti tres Reges, obedientiam nimirum, paupertatem, & castitatem. Adfuit in nobis à principio fervor servandi hæc vota, sed proh dolor! quam procul nunc ab isto recessimus fervore, ut
verè

verè cum pastoribus nîl amplius de
illorum cogitemus observantia non
attēndentes quid dicit Scriptura z.
Tim. 5. *Qui in agone certat, non
coronatur, nisi legitimè certaverit.*
Non audientes quid ipse Salvator
noster Matth. 10. 22. ait: *Qui autem
perseveraverit usquè in finem, hic sal-
vus erit.* Revera nemo potest, inquit.
Justinianus de obed. cap. ult. perve-
nire ad consummationem virtutis,
nisi voluerit in ipsius exercitatione
perseverare. Non enim queruntur
in Religiosis initia, sed finis teste
Dalmata purpurato D. Hieronymo.
Timendum nobis est, nè culpam
Ananiæ primi votorum violatoris in
nobis experiamur, si tam infideles
manserimus in observantia votorum
nostrorum: *Displicet enim DEO
stulta, & infidelis promissio* inquit

D

Sa-

Sapiens Domini Eccles. 5. 3.

8. Renovaturi hodie sumus
vota nostra RR. ac VV. PP. quid
nos hæc sacra juvabit cæremonia, si
deinceps in illis servandis non fue-
rimus constantes: augebimus supli-
cia, ubi præmia accepturi eramus.
Sancti tres Reges quia constantes
fuerunt in bono, pro parvis mune-
ribus, maxima receperunt; pro tem-
poralibus æterna. Nos quoquè si
constantes fuerimus in oblatis votis
DEO, experiemur liberalerū erga
nos DEUM. Dabit nobis pro pau-
pertate thesauros gratiæ; dabit cæ-
lestē regnum, ut in sacro promisit
Evangelio Matth. 5. 3. Beati paupe-
res spiritu, quoniam ipsorum est re-
gnum celorum. Dabit pro myrrha
castitatis aureolam immortalem.
Reddet pro obedientia summos in
cælo

cælo honores, & in sede collocabit
judicantium juxta illud Matth. 19.
28. Amen dico vobis, quod vos,
qui secuti estis me, in regeneratione,
cum federit filius hominis in sede ma-
iestatis sue, sedebitis & vos super
sedes duodecim iudicantes duodecim
tribus Iſræl. Quis non stupebit,
quis non mirabitur, quam magna
præmia, pro tam exiguis nostris do-
nis nobis sunt promissa! Ut ergo
hæc præmia tutius assequamur, vo-
ta nostra non amplius violanda

renovemus. Amen.



Sermo II. pro eadém renovatione Votorū.

*Calicem salutaris accipiam. Vota
mea Domino reddam. Psal. 115. 13.
& 14.*

I. **R**egius ille Propheta David, magnus honoris DEI Zelator, qui divino afflatus spiritu Psalmos in usum Ecclesiæ sanctæ composuit, atquè in summam ejus gloriam, & laudem Hymnos concinnavit, suam propriam parvitatem, ac vilitatem expendens, & innumeris beneficijs à DEO, sine ullo præveniente merito; affectum se esse cognoscens in has plenas cordis pietate erupit voces: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Contemplabatur enim se è caulis

caulis eductum ovium, & evectum
in regiam dignitatem, à furore mi-
nitantis sibi Philistæi exutum, & ore
omnium puellarum Jerusalem sum-
mè laudibus celebratum. Videbat
quomodo furentis Regis Sauli in-
dignationem contra se divinô adju-
tus evaserit auxiliô; quomodo tot
mortis pericula facile effugerit; in-
signes victorias ex hoste non uno
reportaverit, & quod majus est,
tantorum scelerum, scilicet: adul-
terij, homicidij, scandali populi sibi
subjecti veniam impetraverit, ac
obtinuerit. Quid aliud si non obse-
quia tantæ cuperet gratitudinis,
quibus tam liberali suo benefactori
se debitorem esse monstraret. Sed
statim succurrit illi, quid pro tantis
beneficijs, ac gratijs retribueret; si
non æquale, hoc enim est impossibi-
le,

bile, ut vilis homuncio Creatori suo
aliquid æquale rependere possit,
Saltem quidpiam humanæ fragilitati
accomodatum. *Calicem, inquit, ac-*
cipiam, & nomen Domini invocabo.
Vota mea Domino reddam, coram o-
mni populo eius.

2. Tria, quæ hic Sanctissimus
Rex decernit, nos quoquè penes
nostrorum votorum renovationem
expendemus A. M. D. G.

3. Quæ sunt illa, amabo tria,
quæ Sanctissimus Rex in gratiarū a-
ctionem supremo Numini rependere
intendit! Non alia, quam calicis ac-
ceptio; divini nominis invocatio; &
redditio votorum. Et sapienter
quidem: Nam DEUS ab homine
etiam Religioso præter ista tria nihil
amplius requirit. Calix juxta Mellitu-
num Doctorem Ambrosium signi-
ficit

ficit passionem. Divini nominis invocatio, incensum orationis est. Votorum redditio, est omnium virtutum exercitatio. Quid autem aliud à misero homine exigi potest? nisi, ut mala declinet, & bona se-ctetur. In fuga mali omnis designatur perfectio, in prosecutione boni, DEI servitium, amor, & gloria includitur. Hoc quod Sanctus Propheta David in corde meditatus est, hoc quod decrevit facere in summi Domini, ac Creatoris sui obsequium, justissimum est, ut omnes religiosæ animæ, omnes DEO sacratae personæ attentè meditentur, & graviter, solidè, piè, ac Zelosè exequantur.

4. Consideremus enimvero quæ, & quanta bona, quanta beneficia à DEO Domino, ac Creatore nostrø

acce-

acceperimus, & palam, manifestè
reperiemus nec pauciora esse nume-
rō nec valore minora ijs, quæ Rex
iste commemorat sibi collata. Da-
vid è vita pastoritia ad regium eve-
ctus est splendorem, Religiosus per
divinam vocationem, vitam mun-
danam, & obscaenam cum vita reli-
giosa, ac sancta commutavit. David
Philistæ iram, & furorem effugit,
Religiosus sæculi blandientis dolos,
& insidias evasit. David persequen-
te se Saule à periculo mortis corpo-
ralis est liberatus, Religiosus virtu-
te, & gratia divina ab interitu ani-
mæ suæ fortiter est eruptus. Ille ho-
stes Isræliticæ plebis vicit, Religio-
sus protervos inimicos mundum,
diabolum, & carnem prostravit.
David tandem suorum criminum fa-
cile

cilè accepit veniam, Religiosus in
ipso Religionis ingressu tamquam in
quodam spirituali baptismate suorum
facinorum remissionem impetravit.

5. Ast non hic finis est beneficiorum DEI, quæ nobis divina misericordia contulit, & confert in Religione. Nihil est in universa creaturarum multitudine, sive cœlestia consideremus, sive terrestria spectemus, sive etiam inferiora ergastula purgandorum meditemur, sive ad ultimum perpetuos damnatorum cruciatus contemblemur, quid nos ad serviendum DEO per vitam spiritualem non invitet, non animet, non excitet? Quod enim spiritualem vitam æternæ damnatorum pænæ sua interminabili diuturnitate nobis suaserint, ut ab illis liberemur; quod voraces purgatoriij ignes im-
perfe-

perfectis, frigidis, ac tepidis præparati, nos admonent, nè eorum acerbitate obruamur; quòd nobis terrestria obsecudent, ut DEO fideliter, promptè, ac ex animo serviamus; quòd nobis omnia cælestia pro munere spiritualis vitæ immensas, infinitas spondeant, ac promittant delicias, hæc omnia immensa, infinita fecit bonitas DEI erga nos miseros juxta effatum scripturæ, quæ
 1. Jac. 17. inquit: *Omne bonum de sursum est procedens à Patre luminū.*

6. Tantis igitur onusti beneficijs, tantis bonis decorati, quomodo in regias coronati Vatis non erumpemus ingenti cordis affectu voces! *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quomodo statim non occurret nobis, vitam spiritualem, id est: votorum

torum nostrorum renovationem in
 gratiarum actionem ei offerendam.
*Vota mea Domino reddam in conspe-
 ctu omnis populi eius.* Hæc etenim
 in tantorum beneficiorum compen-
 sationem debemus Domino retrí-
 buere juxta illud scripturæ: *Immola
 DEO sacrificium laudis, & redde
 Altissimo vota tua.* Psal. 49. 14.
 Quod enimvero ad primum nostræ
 Religionis ingressum fervide, ac de-
 votè, prompto animo, ac affectu
 pietatis promisimus, æquum est, ut
 ad finem usquè inviolatè servemus,
 & in dies magis, ac magis renove-
 mus. Praeclare enim ait D. Chryso-
 stomus hom. 2. in Gen. *Danda no-
 bis est opera, ut totis viribus devotio
 mentis in divina obsequia exerceatur,*
*reddenda sunt vota, & renovanda, ut
 virtutes eorum in actum proferantur.*

Ad

Ad hoc enim in cætum Religiosorū
à Domino fuimus admissi, ut tanti
beneficij vocationis nostræ per acti-
ones virtutum fructum ei afferamus,
ut ipse Salvator ait Joann. 15. 16.
Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis,
et fructum afferatis, et fructus vester
maneat. Fructificate ergo *et vos cha-*
rissimi, inquit Bernardus ser. de S.
Benedicto, quoniam in hoc positi e-
stis, ut eatis, *et fructum afferatis;*
fructum verò afferetis, si voluntates
vestras per professam proteretis obe-
dientiam, ac ceterorum votorum, u-
naquè honorum operum manipulos
Domino pro tantis beneficijs cummu-
latè afferetis.

7. Vota itaque nostra, quæ
jam pridem à multis annis DÉO
obtulimus, nunc in profundissimam
adorationem Majestatis ejus; in re-
cogni-

cognitionem supremi Dominij, ac
in debitam gratiarum actionem pro-
tam innumerabilibus donis, gratijs,
ac beneficijs ejus rehovemus. Quæ
si bene, ac exactè observabimus,
non ingratij, & beneficiorum obli-
reputabimur, sed gaudebimus in
immensum amplissimam perfectio-
nis nostræ mercedem à DEO spe-
rantes, quam profectò dabit, juxta
verba D. Joannis Evangelistæ i. Jo-
anni: 3. 21. dicentis: *Charissimi fidu-
ciam habemus ad DEUM, ut quid
quid petierimus accipiemus,* quia ea,
quæ sunt placita coram eo fecimus.
Quid ergo accipiemus! ecce maxi-
mam Beatorum felicitatem, in qua
æternū victuri sumus. Nullus ibi
metus, nullum aliquando perdendi
illam periculum, omnis ibi regnat
secul-

securitas, pax perennis, summa tri-
umphat tranquillitas. Si ergo nos
tanta felicitas, tam æterna ab omni
malo manet securitas, ergo ad illam
totis conatibus; magnô zelô pietatis;
ardentissimo affectu per voto-
rum nostrorum renovationem con-
tendamus. Amen.

Sermo III. pro eadem renovatione Votorū.

Renovamini spiritu mentis vestræ.

Ephes. 4. 23.

I. **E**ligere sibi vitæ genus Christi
Evangelio conforme, hoc
quidem omnibus facilè esse potest;
quòd verò quis omnia ea servet,
quæ in illo sunt conscripta, vel sal-
tem quæ sunt minutiora sine culpa
negligenter non omittat, nullus vel
raris-

ratissimus invenitur. Indolet tanto
casui vitæ Religiosæ S. Legislator
noster D. Augustinus, ideò ad Fra-
tres suos Eremitas ferm. 215. de tem-
pore sic ait: *Rogo vos Fratres cha-
rissimi, ut attentiùs cogitetis, quare
Religiosi facti estis, & cur crucem in
fronte portatis. Scire enim deberis,
quia non sufficit vobis, quod nomen
Religiosorum acceperitis, si opera re-
ligiosa non feceritis.* Quid tibi pro-
dest, si te Religiosum nomines, si
religiosas actiones non feceris,
linguam obvinctam continenti si-
lentio non habueris; oculis eam di-
sciplinæ moderationem non adhi-
bueris; quam ipse religiosæ perfe-
ctionis requirit tenor. Ubi est nunc
in nobis omnis modestiæ religiosæ
circumspectio, si non potius planè
rabies, & furia! Ubi est debita humi-
litas,

litas, & subjectio, si non potius superbus fastus, & arrogantia! Ubi est in animo, & mente continua divinæ præsentia recordatio, si non potius perpetua oblivio! Ubi est indecessus in cultu divino labor, si non potius supina negligentia! Ubi est vera, religiosa, & Christiana sinceritas, si non potius hipocrisis, & insultatio! Ubi est debita tot legibus, & exemplis patientia, si non potius furor, & vindicta; murmur, & conspiratio! O vitam tales religiosam ipsis Ethniciis deteriorem! Magna res est, Religiosum esse, sed pessima, & damnabilis est religiosam non ducere vitam. Quid enim prodest, si de aureo annulo sigillum facias, & putridas paleas intus recordas! Quid prodest religiosam portare vestem, & pejores fæcula-

rium

rium gerere mores? Quid prodest plus cogitare de carne sua, quam de anima; plus diligere gulam, & luxuriam, quam castitatem, & abstinentiam; plus de praesenti cogitare commodo, quam de premio futuris? Quid prodest suam conscientiam quotidie examinare, & tamen mores, actus, gestus aliorum censurare, vituperare? Quid prodest abstractam a mundo ducere vitam, & aliorum dispositiones inspicere; mirari, obloqui; involvere se ad omnia, quae ad nos non pertinent? Non est haec vita Religiosorum, sed hystrionum; non est haec vita Religiosorum in pace, quiete, amore, charitate, & sanctitate viventium, sed turbulentorum, inquietorum, ubique nasum suum intrudentium. Fulminat contra tales Religiosos D.

Bernardus: Redi Religiose ad domum
cordis tui, collige te intra temet ipsum,
si hanc domunculam derelinques, fa-
cile finio vanarum occupationum sor-
desces. Et tamen vix non in talem
devenit ruinam vita nostra Religi-
osa per contemptum, & inobservan-
tiam non tantum majorum, sed &
minorum præceptorum Religiosæ
observantiae, ita, ut rectè pro nobis
clamet Apostolus: Renovamini spi-
ritu mentis vestræ. In hac ergo re-
novatione votorum nostrorum bre-
viter loquar de observantia, & se-
dula cura etiam minimorum, quæ
in Regula, & Statutis nostris con-
tinentur. Facta enim in his fideli
observantia, votorum quoquè no-
strorum absquè dubio fideles adin-
veniemur executores juxta illud

Evan-

Evangelistæ Luc. 16. 10. effatum:
Qui fidelis est in minimo, & in ma-
iori fideles erit. A. M. D. G.

2. Certum est, quod & DEUS,
 & natura ipsa non modicam
 sed magnam minimorum curam ge-
 rant, ita, ut non immerito canat
 Pöëta: *Eminet in minimis, maximus*
ipse DEUS. Quid magis modicum,
 quid vilius capillo hominis est, vel
 esse potest, & tamen DEUS omnes
 capillos nostros, ac si quid pretiosi
 numeratos habet, & conservat, ut
 habetur in Evangelio Luc. 21. 18.
capillus de capite vesto non peribit
Quid abjectius pullis corvorum,
 qui ovis exclusis deseruntur a pa-
 rentibus, & tamen DEUS illos pa-
 scit, cibumq; præparat illis, ut in-
 quirit Psalmista, Psal. 146. 9. *Qui dat*
iumentis escam ipsorum, & pullis

corvorum invocantibus eum. Quid
vilius esse potest ipsis aviculis,
quæ hodie adfunt, cras ayolant; ho-
die vivunt, cras moriuntur; hodie
garriunt, cras jaculantur, vel truci-
dantur, & tamen DEUS ipsum ni-
dum procurat illis: *Volucres cœlē
habitabunt in ea.* Psal. 103. 12. Sic
enim DEUS Creator, & Conditor
universi, per curam suam minimo-
rum, nos etiam ad minimorum cu-
ram, & modicorum observantiam
suō exemplō provocare intendit.

3. Porro: scrutemur totam Le-
gem Christi, & nihil frequentius,
quam obligationem ad minima, &
modicorum inculcatam observan-
tiam inveniemus. Mayult enim
DEUS cœlum, & terram interire,
quam ut unus apex, unum iota de
lege ejus pereat. Plus apud DEUM
valet

valet modicorum observantia, quā
legis totius sola advertentia. Non
parvus est census, cui magnus est ani-
mus ait S. Leo Papa. Nunquam
merito caret, etiam in tenui faculta-
te bonae voluntatis opulentia, exigua
portio maximi pretij, multis vilibus,
& periculis praestat opibus. Grego-
rio teste.

4. Præter autem Leges Chri-
sti omnibus Fidelibus communes,
nos, qui Religiosæ Professionis titu-
lō ad perfectionem tendere debe-
mus vi etiam Statutorum, Consti-
tutionum, ac Regulæ Sacræ, ad
modica quæquæ non spernenda, sed
curanda, & observanda peculiari-
ter constringimur. Sed fortassis di-
cetur mihi: edissere, quænam sunt
hæc modica, minima puncta, & a-
pices? Dico cum omnibus Ascetis,

& per-

& perfectis viris non esse alia, quam,
ut non solum magna, sed etiam mo-
dica, & minima vitia; deffectus, &
imperfectiones cum omni diligen-
tia caveamus, & cum pari solicitu-
dine quasvis perfectiones, etiam
modicas, quas ipse sanus intellectus,
dictat esse rectas serio amplectamur.
In his etenim parvis, & modicis,
quaꝝ nos minus prudenter postponimus certocertiꝫ æterna nostra
salus consistere potest Chrysosto-
mo affirmante, qui hom. 38. ad pop.
inquit: *DEUS omnia facit, & sata-
git, ut ex minimis te coronet.*

5. In nascentis Ecclesiæ pri-
mordijs quisquis pietatem colere,
Deoque famulari decrevisset, for-
tunam, substantiam, opes, divitias
suas fisco, famam calumnijs, corpus
catenis, vitam ipsam carnificum
crude-

crudelitati addicere cogebatur.
Quod si autem quis tantam barba-
riem non ferens fidem sanctam mo-
rum pietatem conservare voluisse,
talis profectò vel cum D. nostro
Patre Páulo primo Eremita in soli-
tudinem fugere debuit, vel cum
D. Athanasio horrida mortuorum
sepulchra inhabitare. Longè diver-
sa ratione, quia clementiori modo
agit nobiscum DEUS, quando ad
consequendam nostram salutem,
non tormentorum atrocitatem su-
bire nos cogit, sed solum exactam
modicorum observantiam à nobis
requirit. Si minima quequæ feceris
simplici, & ferventi affectu, non dubi-
tes te magnam DEI gratiam affec-
turam dixit quondam B. M. V.
Sanctæ Catharinæ senensi. Et ta-
men, proh dolor! in his modicis
sæpe

sæpe infideles sumus; in his modi-
cis, quæ nobis sacra Regula, &
Constitutiones observanda præcipi-
unt, vel ipsi Superiores mandant,
inutiles nos servos agnoscit DEUS,
dum quia vel planè illa contemni-
mus, vel non fervidè, sed languidè,
ac segniter exequimur. Magnus E-
logiasta B. M. V. S. Ambrosius
dum in laudes eius excurrit, non
laudat eam, quòd sit Mater DEI,
non laudat eam, quòd sit Regina
cæli, Domina mundi, sed ea, quæ
sunt minora extollit, dum ait: *Cor-*
de humilis, verbis gravis, loquendi
parcior, legendi studiosior, verecun-
da sermone, intenta operi: nihil tor-
vum in oculis, nihil procax in ver-
bis, non gestus fractior, non incessus
solutior, non vox petulantior, ipsa
species corporis figura erat probitatis.

En

En pulcherrimam imaginem vitæ
Religiosæ, en magnum exemplum
minimorum obseruantia.

6. Parum refert quam quis
rem agat sive magnam, sive par-
vam, sed qua mentis hilaritate,
qua pietate, & devotione id faciat,
respicit DEUS. Minimis etiam re-
bus, quas DEO consecramus, hila-
ris noster animus pretium, & valo-
rem apud DEUM imponit, inquit
S. Ambrosius. Sæpe DEUS non at-
tendit quid facias, sed quo affectu
aliquid propter ipsum facias. Sæpe
res, quæ videntur in se parvæ, plu-
ris ab eo fiunt, quam res magnæ ad
speciem. Parvis actionibus magis
DEUM flectimus, & placamus, pre-
nonnullis, qui magna faciunt, ait S.
Ephrem. Tunc qui rectè persuadetur
in ma-

in magnis versari, seu magnum quid facere, si se valde probum in minimis ostenderit, affirmat Tertul. Multum operatus es, (adstipulatur S. Leo Papa) magnum quid effecisti, si parva, & minima hilari vultu, & prompto animo observasti. Quod pulchre confirmat S. Theodor Studita dum ait: DEUS, ut est misericordiae largus, virtuti debitum, etiam ob ipsum propositum remuneratur.

7. Confert igitur plurimum ad renovationem votorum nostrorum, ut totam nostram in ejus actionibus renovemus vitam, ac quae DEO displicant, etiam si modica, & minima sint, diligenter caveamus, & vietemus; & ea, quae DEUS nobis in Regula sacra, & Statutis præcipit, etsi minima sint, non obiter, ac segniter, sed fervide, ac diligenter peragamus.

gamus. Non sunt negligenda talia,
quia, ut Spiritus Sanctus monet Ec-
cles 7. 19. Qui timet DEUM ni-
hil negligit; virtus enim magna in
minoribus semper experimentum ca-
pit Sancto Valerio teste. Quocirca
juxta Ambrosij consilium: In mini-
mis probandum est conflictibus quam
viriliter in maiori certamine stare
possimus. Fideles ergo simus etiam
in parvis, ac minimis DEO, bene,
ac ferventer ea exequendo, ut à Re-
muneratore Cælesti, pro exacto
in minimis nostro famulatu, tandem
aliquando, post instauratam vitam
nostram, quando ad sonitum terribi-
lis illius cælestis tubæ totus reno-
vabitur orbis, nos æternâ gloriâ præ-
miari mereamur. Amen.

Sermo

Sermo I. pro Cæna Do- mini.

*Ante diem festum Paschæ -- cæna fa-
cta. Joann. 13. 1. & 2.*

1. **M**Agna, & non rara in prisco
illo, seu verius, veteri Te-
stamento eo die fuit solemnitas, quo
post partas populi DEI de hostibus
victorias, post pacatam totius Isræ.
liticæ gentis Patriam, Rex, & Pro-
pheta David de arce montis Sion
suæ residentiæ Arcam Veteris Te-
stamenti in Urbem Jerosolymam in-
troduxit. Tunc enim tanta fuit so-
lemnitas, quantam nec vidit, nec
audivit universus orbis. Legantur
Sacrae Historiæ fasti; ibi licebit vi-
dere hujus solemnitatis triumphum.
Ego hic tantum scire desidero, quæ
tantæ

tantæ causa lætitiae, quæ causa hujus solemnitatis propter unam arcam ligneam illatam Civitatis! Aliam ego non invenio, nisi, quod David, ut Propheta expresserit in hac Arca Corpus Christi Domini speciebus panis inclusū. Digna hæc mystica Arca tali plausu; tali solemnitate, cuius gloriam etiam ipsi canunt Genij cælestes. Grandis hæc Cæna, qua digniore ipsæ cælestes non fruuntur mentes. Magna Cæna, quia à Magno, imò Summo Rege Regum instituta, & præparata. Magna cæna, quia magno Christianorum instituta orbi. Magna cæna, quia magno pretio sanguinis Christi comparata.

2. In convivio Cleopatræ Reginæ, Plinio referente, fuit unica gemma, quæ valore suo totum Imperium

perium adæquabat. *Antoni! Regnū
bibisti.* In convivio Christi Domi-
ni, in hac sacratissima cæna, non jam
gemmae pretiosæ, sed ipsa Caro
Christi Domini, ipse Sangvis totā
occupat mensam. Verè cæna ma-
gna, quâ nec orbis uniyersus digni-
orem, nec aulæ Principum viderunt
opulentiores. Ast si tam magna cæ-
na, ubi sunt dignissimi hospites ejus?
Ubi sunt præclarissimi convivæ? Ut-
què magnam cænam magni hospites
solent condecorare! Monstrabo il-
los, dum loquar, quomodò, ad hanc
sacratissimam cænam accedere de-
beamus, quæ dignè accendentibus
magnos parit fructus; indignè su-
mentibus interitum summum. A. M.
D. G.

3. Christus Dominus in sacra
Eucharistia transubstantiato pane in
corpus

corpus suum, substituit se loco pa-
nis, immutat vultum suum; tegit
speciem suam gloriosam, & induit
speciem panis humilem, parvam, &
ingloriam. Etverò: solent quando-
què amantes, interdum se alieno ha-
bitu vestire, ut sub eo latentes, ami-
cam, aut sponsam liberiùs conveni-
re possint, & reciprocum ejus amo-
rem experiri. Ad similem formam
fecit Christus Dominus, ut possit
nobis intimè uniri. Amore nostri
speciem induit panis nobis commu-
nissimi. Quid igitur nos facturi su-
mus, ut digni ejus appareamus ho-
spites, & convivæ nisi, ut accessuri
ad ejus mensam, aliam etiam indua-
mus personam, abjicientes personā
peccatoris; hominis carnalis; homi-
nis dissoluti. Sumat quisquè super-
bus, fastuosus, personam humilis;

gulo.

gulosus personam sobrij; lascivus,
personam casti, & luxuriosus; ita e-
rit ad mensam Domini magnus ho-
spes; dignus conviva.

4. Pericles Atheniensis Philo-
sophus dum aliquando iturus ad
convivium cujusdam præstantissimæ
formæ juvenis, nobiliores ultra su-
am consuetudinem accepisset ve-
stes, quæsitus ab amico, cur se ita
ornaverit, respondit, ut pulcher ad
pulchrum vadam. Pulcherrimus est
Dominus noster sub hoc Euchari-
stiæ Sacramento; speciosus formâ
præ omnibus filijs hominum, cu-
jus pulchritudinem sol, & luna mi-
rantur, ad quem hodie accessuri su-
mus, idcirco non tantum decet, sed
omnino necesse est, ut pulchri ad
pulchrum vadamus.

5. Esther 2. Repudiatâ Regi-
nâ

nā Vasti Asverus Rex, quando vo-
cavit Esther, non priūs illam ad-
misit ad mensam suam, donec splen-
didè ornatam regalibus quoquè in-
duerit vestibus. Ad mensam Sal-
vatoris nostri Christi JESU, ad ejus
cælestē convivium nemo dignè ac-
cedere potest, nequè debet, nisi
priūs splendidè ornatus, ipsius vesti-
bus, sanctis scilicet virtutibus se in-
duerit. Ita nos docet Doctor Gen-
tium Ephes: 4. 24. *Induite novum
hominem, qui secundūm DEUM
creatus est in iustitia, & sanctitate
veritatis.* Vana sæculi pompa non
admittit ad suam mensam, & con-
vivia, nisi eos, de quibus ait Scri-
ptura: *Omnis lapis pretiosus operi-
mentum ejus.* Ezech. 28. 13. Nisi e-
os, qui pretiosis aurō, gemmisq;
ornatis incedunt vestibus; splendi-

F do

do stipantur comitatu. Cæna Domini illos tantum quasi dignos invitat hospites; illos ad suam admittit mensam, qui splendore virtutum sicut Job nitent, qui de seipso 29. 14. dicit: *Justitiâ indutus sum, Et vestivi me sicut vestimentô, Et diadematè iudiciô meô.* Alij legunt: *Vestivi me vestimentô, Et diademate; innocentia, Et animæ puritate. Has vestes,* ait D. Ambrosius, nobis comparemus, hæc indumenta habeamus, ut digni mensæ Domini assideamus. Confirmat hoc ipsum Hugo Card. cap. 6. dum inquit: *Hæc sunt sola indumenta virtutum, quibus anima potest cœlesti placere Imperatori.*

6. Alta hanc divinam Cænam contemplatus admiratione D. Antistes Constantinopolitanus Chrysostomo-

sostomus, exclamavit quondam:
Quis loquetur potentias Domini!
Ecce cœlestis Pastor oves suas proprio
pascit cruento, quid nos pro hoc mira-
culo ferculo vicissim nostro parabi-
mus Domino! Corpora nostra offera-
mus in hostiam, & holocaustum, quod
instanter nobis præcipit Paulus Apo-
stolus Rom. 12. dicens: Obscro vos
Fratres per misericordiam DEI, ut
exhibeatis corpora vestra hostiam
viventem, DEO placentem. Non
dicit, ut occidatis corpora vestra
sicut victimæ cœdi solent, sed, ut
vitâ eis conservatâ mortificetis car-
nis concupiscentias per continen-
tiam, abstinentiam, & patientiam.
Idem Doctor Gentium i. Cor. ii.
28. scribens, arctius illos monet, ut
ad hanc cœnam Domini accessuri
præparent se dignè, dum ait: Probet

autem se ipsum homo, & sic de pane
illo edat, & de calice bibat. Supra
quæ verba inquit Doctissimus Mar-
chantius: Quænam est hæc probatio?
nisi vitæ, & conscientiæ diligens exa-
minatio.

7. Probet ergo quisquæ sei-
psum; scrutetur, & examinet cor
suum; videat accensâ lucernâ, an in
angulo conscientiæ non lateat ali-
quid venenosum; an affectus aliquis
vitiosus, aut turpis, & sordida non
delitescat cogitatio. Hæc enim vi-
rus secum trahunt, & quasi parvuli
serpentes mordent conscientiam,
& insensibiliter in mortem ducunt
æternam, nisi per arduæ pænitentiæ
perimantur antidotum, & dolorosam
evomantur confessionem. Pro-
bet iterum cor suum, antequam de
hoc

hoc pane edat. Hoc est: scrutetur
quilibet qua intentione feratus, quo
affectu impellatur, qua cordis mun-
ditie, & præparatione ad hanc sacra-
tissimam accedere intendit men-
sam: qua contritione , & compun-
ctione cordis afferat firmum pro-
positum emendationis. Probet ulti-
mò , & examinet lingvam suam,
quæ est quidem modicum membrū,
sed non modica invehit mala; faci-
lè inflamatur à gehenna : diligenter
igitur examinanda est, & studi-
osè purganda ; quia primum mem-
brum est, quod Christum recipit;
quod tremendo ejus nimis sanguine
rubescit. Qua non igitur debet ni-
tere puritate! Nam si repleta fuerit
maledictionis amaritudine; nam si
plena fuerit venenô mortiferô; vanis
verbis, aut scuribus; turpibus, &
bla-

blasphemis; plena irrisione, & contentione; plena maledictis, & execratione: quomodo tali fæce vitiorum deturpata poterit hunc cælestem degustare cibum! Expurgetur ergo prius ejus venenum lanceola validæ contritionis; extingvatur ignis ejus infernalis aquâ pænitentiæ servaræ; extergatur omnis in ea maledictionis, blasphemiaræ, susurationis, contentionis, infamiaræ, irrisionis, pia, & integra Confessione: tunc modò primum cibum hunc cælestem sumat, tunc de calice benedictionis bibat; tunc mensæ Domini dignus assideat conviva.

8. 2. Reg. 9. 6. Invitat Rex David Miphiboseth ad suum convivium, & dicit ad eum, Nè timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, propter Jonatham patrem tuum,

tuum & restituam tibi omnes agros
Saul patris tui, & tu comedes panem
in mensa mea semper. ibid. v. 7. Quô
auditô respondet Miphiboseth: *Quis*
ego sum servus tuus, quoniam respe-
xisti super canem mortuum similem
mei ibid. v. 8. Fuit sanè Miphiboseth regius Princeps filius Jonathæ, legitimus Regni successor: & ecce quomodò se humiliavit coram David, canem se mortuum appellando. Quomodò nos non majori jure debemus nos humiliare ad mensam divinam accessuri, qui plus quam mortui canes sumus, nullius virtutis habentes vigorem. Hinc ad nos S. Legislator noster Augustinus serm. 127. sat benignè, sed Zelosè ait: *Obsecro vos dilectissimi Fratres,*
& admoneo, ut unusquisque recurrat
ad testem idoneum, id est conscienti-
am su-

am suam; & si ibi aliqua peccatorum invenerit vulnera, confugiat ad remedium lachrymarum: pœnitentia se fecisse, quod fecit, quia de suis iniqüitatibus non accedit ad cœnam Domini iustus, nisi vera eum disposuerit pœnitentia. Pergit ulterius S. Legislator noster dicens: Accessuri ad cœnam Domini nostri, inspicite latibula cordis vestri, nè forte sint ibi aliqua peccata, quæ nondum sunt strieto divini amoris exusta dolore. Puritatem vestrarum custodite animarum, gulam refrænate; ebrietatem fugite; odia deponite; susurrationes, uti vera diaboli semina deponite, abiici tequè, pacem cum omnibus Fratribus habete, & sic in corpore, & anima iustificati, & ab omni depurati inquinamento digni convivæ huic assiditis Cœnæ.

9. Hæc

9. Hæc Augustinus, ego vero
præsentem sermonem concludo ver-
bis Adriani summi Pontificis, quæ
ille ad unum Lothariae Regem te-
nens in manibus sacram Euchari-
stiam locutus est, *Site tua accusat
conscientia; si lethali sauciatum pro-
clamat vulnere, nequaquam sumere
presumas, nè fortè ad iudicium, &
condemnationem tibi eveniat, quod
fidelibus ad remedium divina præpa-
ravit providentia.* Amen.

Sermo II. pro Cæna Do- mini.

*Cenantibus autem eis, accepit JE-
SUS panem & benedixit, ac fregit,
deditque discipulis suis, & ait: ac-
cipite, & comedite: hoc est corpus
meum. Matth. 26. 26.*

I. **I**nter solennes aliquando quæ-
stiones

stiones juremeritò quæri potest, cur
Incarnata Sapientia Christus Domi-
nus noster mundo valedicēturus so-
lenne Eucharisticum convivium
post cænam instituerit, ut clarè de-
monstrat Lucas Evangelista 22. 20.
Post quam cœnavit. Cur, inquam,
postquam cœnavit, instituerit hoc
convivium? Acutissimæ, ac ingenio-
sissimæ à Scriptoribus nonnullis af-
signantur rationes: Quod est omni-
um optimum, hoc debet esse ulti-
mum. Sacratissima Eucharistia o-
mnium optima, supra omnia ex-
cellentissima, ideo in Cœna Domini
ultimō locō asservata fuit. Serva-
vit morem Christus Dominus nu-
ptiarum in Cana Galilææ, ubi vinū
generosum extremō locō datum fuit:
ita ille post ultimam cænam hoc au-
gustif.

gustissimum instituit Sacramentum.

D. Gregorius in Glossa inquit: *Post cænam instituit Eucharistiam, quia post cænam nullum convivium restat, nec post hanc cænam melius quiaquam, & magnificentius DEI omnipotentia et si sit infinite sapientiae, infinitarum dicitiarum, plus dare nescivit, plus dare non habuit, nec plus dare potuit.*

S. Ambrosius ait: *Quid restat post cænam, nisi somnus? post Sacram Eucharistiam nihil aliud desiderare possumus, ac debemus, quam quietem æternæ beatitudinis. Est Eucharistia ferculum, quale nunquam vidi antiquitas. Delicatissime, ac magnificissime nobiscum procedit Deus, qui in Eucharistia non tantum pascit mentem, sed & sensus exter nos. Ast & hoc non postremam patit quæstionem, cum enim Christus*

Domi-

Dominus post ultimam cænam hoc
sacrum Eucharistie instituit convi-
vium, quare hæc Eucharistia vo-
catur Cæna magna! Respondet pur-
puratus Hugo homil. hodiernâ:
*Multæ causæ sunt, cur cæna Eucha-
ristia, vocatur Cæna magna!* Ma-
gna cæna est, quia iste est maximus,
qui ad ostendendas divitias potentie,
sapientie, ac clementie suæ hanc cæ-
nam instituit. Magna cæna, à ma-
gnis, exquisitissimis epulis, quia hic
est divinitas Christi cum omnibus per-
fectionibus, anima Christi cum omni-
bus virtutibus, caro Christi cum o-
mnibus privilegijs, sanguinis Christi
cum toto illoquè infinito pretio. Sed
præ omnibus alijs causis hæc vide-
tur esse maxima cur cæna Euchari-
stica vocatur magna! quia maxima
dona, maximas gratias in illa nobis
contu-

contulit Salvator noster, prouti ul-
teriori videbimus discursu. A. M.
D. G.

2. Scribunt Naturalistæ ho-
minem quò præstantioribus, & sub-
tilioribus utitur cibis, meliorem,
& firmiorem aquirere sanitatem.
Cùm anima hominis sit pars subti-
lissima; cùm sit purissimus spiritus,
ad sanitatem ejus meliorem, & sub-
tiliorem cibum non poterat inveni-
re Salvator noster, quam pretiosissi-
mum corpus suum sub speciebus
panis Eucharistici, per cuius sum-
ptionem ipsam ei tribuit immortalitatem
attestante sacro Evangelio
Joann. 6. 59. *Qui manducat hunc
panem vivet in æternum.* Obstupe-
scunt ad tantum mysterium ex ore
sui Magistri audientes hæc verba
Apostoli, dum ajunt: *Durus est hic
sermo,*

sermo, ¶ quis potest eum audire? ibid.
¶. 61. Utique dicitur in eodem Evan-
gelio cap. eod ¶. 64. *Spiritus est,*
qui vivificat; caro autem non pro-
dest quidquam. Si nihil prodest,
quomodo ergo qui illam comedunt
vitam æternam habebunt? Respon-
dent Sancti Doctores Augustinus,
Cyrillus, & Bernardus: Carnem
quidem Christi, si præcisè suma-
tur, nihil prodest; non enim ex se
virtutum habet animas hominum
vivificandi, sed quia semper est uni-
ta Divinitati, & Divinitas sicut vi-
ventium productiva est, ita & vivi-
ficativa: ita quoquè & corpus Chri-
sti Domini eandem vim habet per
communicationē idiomatum. Quis-
quis igitur Corpus Domini dignè
manducat vivet in æternum.

3. Sed si ardua hæc verba fu-
erunt

erunt Apostolis, nobis planè nullò
modò facilia captus. Nonnè duode-
cim Apostoli cum timore, & re-
verentia pane hoc Eucharistico vesce-
bantur; nonne tot mira sanctitate
conspicui post multas animi tribu-
lationes, post plurimos corporis cru-
ciatus, post ardua jejunia ad cæle-
ste hoc accedebant epulum? & ta-
men inevitabili succubuere fato?
Statutum est hominibus semel mori.
Hebr. 9. 27. Quomodò ergo verba
hæc noster miser intellectus conci-
pere potest, quòd quicunq; panem
hunc, corpus scilicet Domini nostri
JESU Christi manducaverit, vive-
re debeat in æternum; cùm nemo
sit, qui mortem effugerit, aut effu-
gere possit. Ad hoc respondet ipsa
Incarnata Sapientia, dum Joann.
III. 25. ait: *Etiam si quis mortuus fu-
erit,*

erit, vivet æternum. Minimè trepidandum est: sanctum quidem est in cælesti consistorio, ut quilibet nostrum lethali Libithinæ falce corruat succisus, verum tamen inquit æterna veritas, si quis hoc cælesti pane digne, piè, ac devotissimo affectu, unàquæ seraphico amore refectus fuerit, et si mortuus fuerit, vivet in æternum, quia ego resuscitabo eum in novissimo die. Ecce quām maximum animæ nostræ donum ex hac Eucharistica Mensa, nempe immortalitas.

4. In veteri illo Testamento severè DĒUS præcipiebat summo Synagogæ Sacerdoti, ut in medio Templi decenter apparatâ mensâ panem recenter assūm exponeret, ut quicunque alicujus noxæ conscius Templum illud ingressus esset, Deoquæ

oquè reconciliari vellet, per illius
comestionem ferventi accensus in
DEUM charitate domum suam in-
nocens rediret. Christus Dominus
Summus Ecclesiæ suæ Catholicæ
Pontifex videns nos peccatorum
pondere aggravatos, & in servitio
suo languidos, exponit hodie in al-
tari sacratissimum Corpus suum, ut
omnes huc congregati, & per ve-
ram humilitatem, per intentissimum
ejus amorem ei reconciliati, ab hoc
ejus cœlesti pabulo ferventius in
DEI charitate incalemcamus, & ju-
stificati ab eo recedamus. Hic ci-
bus confert homini magnum fru-
ctum ; quia eundem replet gratia
sanctificante. Ecce quantam grati-
am recipimus in hac Eucharistica
cæna, si dignè, si sanctè ad illam ac-
cedimus, nempe justificationē nostrā.

5. Esther cap. I. refert sacra Historia quod Asverus Rex, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super 127. Provincias, tertio Imperij sui anno, cunctis Principibus, & Præfectis suis splendidum instituit convivium. Videre ibi erat splendidum apparatum; mensas exquisitissimis instructas dapibus; generosa vina; aureos sciphos; cultissimos hospites, qui digni tanti Regis tantâ mensâ fuerunt. Christus Dominus, cum sit non 127. Provinciarum, sed universi orbis Dominus, lautissimum hodie non propter Principes tantum, sed propter universum mundum præparavit convivium, in quo non terrestribus ferculis; non ferinis dapibus non volatilium cuperdijs, sed suo pretiosissimo corpore; sacratissimo sanguine unumquemq;

quemq; nostrum tractat. Cibus hic ineffabilis gustūs est, qui cælesti repletur ambrosia. Cibus hic delicatissimus tantæ est virtutis, ut qui cunquè illō dignè, & piè vescitur, quidquid molestiarum ei acciderit, non eum conturbabit testante ipso Salvatore, qui Joann. 16. 20. ait: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Cibus hic confert dignè lumentibus maximos honores, quia hominem in DEI filium transformat, confert sublimes prærogativas, quia hominem facit Christi fratrem; confert deniquè summa privilegia, quia hominem efficit cælestis patriæ hæredem. Bene hic Seraphica Virgo Teresia inquit: *Unica Synaxi cum magna fide, profunda humilitate, ardenti amore posse animam nostram ingenti cælestium donorum*

locupletari thesauro. Et verè seraphicè locuta est hæc D. Virgo, nam, ut asseverat S. Ambrosius de hoc Augustissimo Sacramento: *Si vultus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, iustitia est; si auxiliò indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cibum queris, alimentum est.* En quanta nobis dona ex hac sacratissima Eucharistica mensa cumulare possumus, si digni; si intaminato corde; si fervido amore; si Zelosissimo affectu; si via fide ad illam accedemus. Audiamus quid dicat non sìne magno stupore Hyponensis Antistes D. Augustinus: *Dives est Christiana Religio, que in omnium possessore, nempe DEO, omnia possidet.*

6. Apud

6. Apud antiquos homines celebrabatur solenne conviviū, quod vocabant, finis amicitiæ, quasi jam non poterat ultra major amicitia ostendi, quam in illo convivio. In illo convivio hospes, id est, qui tractabat, solebat sibi ē vena sanguinem mittere, exceptum calice viñō miscere, & sic propinare amicis. An non majori titulo convivium Christi, cæna hæc Eucharistica, quā hodie nobis præparavit Salvator noster vocari potest, & debet convivium amoris, finis amicitiæ; cū quid ultra dare potuit, non habuit, quando se totum in animarum nostrarum tradidit saginam. Invitat igitur hodie nos omnes verè plus quam ad regale convivium, ut nos in seipsum transmutatos efficiat immortales; ut restauret conscientias nostras

nostras omni puritate, ut vires ani-
mæ conferat ad serviendum sibi sin-
cerè.

7. Accedamus proin ad hoc
cæleste pabulum cum maxima, qua
possimus humilitate, pietate, lan-
ctitate; ac reverentia. Si enim bea-
tæ illæ mentes omni, quo possunt mo-
do venerantur Christi præsentia, nos
quoquè quicunquè ad Sanctissimum
Eucharistæ Sacramentum; ad hanc
cænam magnam accedimus, præ-
sentem summa conscientiæ puritate
adoremus Duplex advenienti Chri-
sto Domino aperimus organum os-
scilicet, & linguam: si igitur in salu-
tem animarum nostrarum suscipere
volumus Corpus Christi, nihil sit
in ore noxiun; nihil in lingua fæti-
dum; nihil in corde sordidum, sic
sinè offensa manducabimus hunc
panem,

panem, qui est fons salutis; causa
prædestinationis, & certissima spes
nostræ redēptionis. Et quāvis
haberemus Angelicam puritatem,
& S. Joannis Baptistæ sanctitatem,
adhuc non essemus digni hoc Sacra-
mentum tractare, & luscipere. Non
enim hoc meritis debetur hominum,
quod homo sumat in cibum, panem
Angelorum. Quare etsi cælestes,
& tam igniti, ut Cherubim, & Se-
raphim esse non possumus, cone-
mūr tamen tam fervide devotioni
infistere, corda nostra præparare, ut
saltem modicam divini incendij
flammam ex humili, & devota hu-
jus vivifici Sacramenti sumptione
conquiramus. Hoc enim altissimum,
divinissimum, ac sanctissimum Sa-
cramentum salus est animæ, & cor-
poris

poris nostri; medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia nostra curantur; passiones frænantur; tentationes vincuntur; gratia major animæ infunditur; virtus incepta augetur; firmatur fides; spes robatur, & charitas DEI magis ignescit. O! felix mens, ac beata anima, quæ Dominum DEUM suum merebitur hodie devotè intra sua viscera suscipere. Hanc gratiam da nobis, qui vivis, & regas in sæcula sæculorum. Amen.

Sermo III. pro Cæna Domini.

Et vos mundi estis, sed non omnes.
Joann. 13. 10.

Cujus hæc verba sunt RR. PP.
Fratresque amantissimi! dici-
te mi-

te mihi. Utique ille hæc dixit, qui
scrutator est cordium; cui nota
sunt omnia; qui obstrusam nostram
conscientiam clariùs, quām sol or-
bem penetrat universum. Ille hæc
dixit, qui cuncta novit, quæ cuncti
ignorant. Ille hæc dixit, qui orbis
scelera longè, quia de excelso cæ-
lorum throno acutè prospiciens, a-
gnovit, & sub candido vellere tur-
pem conscientiæ labem, ideo pa-
lam dicit: *Et vos mundi estis, sed*
non omnes. Quid dulcius, quæso,
quid optabilius esse potest, quām
de ore æternæ veritatis suæ innocen-
tiæ habere testimonium: *Et vos*
mundi estis: sed quid lachrymabi-
lius, quām de ore hujuscce Verita-
tis suam audire condemnationem:
sed non omnes. Et quare hoc! An
non omnes sumus vestiti habitu illo,

qui

qui est vestimentum salutis, quô
quondam induitus Isaías Propheta
gloriabatur dicens: *Gaudens gaude-
bo in Domino, & exultabit anima mea
in DEO meo: quia induit me vesti-
mentis salutis.* Isai. 61. 10 An non
omnes sumus illo vestiti habitu, qui
est vestimentum lætitiae, quô ornata
Judith Religiosa Mulier suum, &
patriæ suæ capitalem devicit hostē,
cum summa orbis Isrāèlitici lætitia?
An non omnes sumus illo vestiti ha-
bitu, qui est vestimentum gloriæ si-
cūt vestis illa Aaron, de qua Exod.
28. 2. dicitur: *Facies vestem sanctā
Aaron fratri tuo in gloriam!* Utique
vestis Religiosa, est vestis puritatis;
est vestis solennitatis, quæ virtuti-
bus tamquam florum nitet splendo-
re! Vestis Religiosa, est vestis di-
gnitatis, quam Principes, Nobiles,
ipsiq;

ipſiq; honorant Reges! Quare ergo mundi ſumus, ſed non omnes! Niſi fors ideò ſicut ait S. Leo Papa: *Necesse eſt de humano pulv̄ere etiam religioſa ſordescere corda.* Hoc eſt: ſanctis etiam, ac perfectis viris mi- nutas ſæpe ineſſe maculas culparum. Sed appage hinc quisquis mundano ſordium pulv̄ere ſuam novit detur- patam conſcientiam. Sanctum Do- mini Pascha celebraturi ſumus; ut igitur mundi omnes appareamus ne- cesse eſt. Mensam Domini accessu- ri ſumus, ad quam, ut dignè acce- damus, priùs de condigna præpara- tione breviter loquamur. A. M.
D. G.

a. Matth. 14. 14. Dominus, &
Salvator noster tractaturus turbam
magnam in ſpatiosis campis ferè
quinquè millia hominum, priùs illā

visitavit, & quos debiles, ac infirmos invenit, sanavit, ut sacer innuit
Textus: *Misertus est eis, & curavit languidos eorum.* Quare hoc forte non habuerunt appetitum, & gustum alicujus cibi nequaquam; sed ideo, quia illa tractatio figura fuit Eucharisticæ Mensæ. Ideo ergo hoc fecit, ut doceret prius esse sanandos peccatores per pænitentiam, quam ad Mensam Domini accedant, quia hoc Sacramentum vivorum, & benevolentium est, non pusillorum, aut languidorum. Et sicut cibus sanorum nocet ægris; sic Eucharistia obest malis. Unde enim, quæso, fit, quod plerique post sacram Communionem adhuc tam infirmi, tepidi, fragilesque sint? Cur hoc sanctissimò cibò non impinguantur, & roborantur? Cur non velut leones ignem spirant?

spirantes, & diabolo terribiles re-
cedant! Nisi quia validorum cibū
sumpserunt languidi; Confessionem
obiter fecerunt; sinè accurato ex-
amine; sinè serio dolore; sinè sumo
proposito emendationis. Cibus sa-
cratissimus, quem nobis in his Pa-
schalibus gaudijs offert Salvator
noster, Cibus est Angelicus: *Panem*
Angelorum manducavit homo. Psal.
77. 25. ergo instar Angelorum puri,
& fortes esse debent, qui cum fru-
ctu cælestem hunc panem sumere
optant, desiderantquè. Pulchrè hic
ajt S. Cyprianus serm: de lapsu ho-
minis sic scribens: *Quando ergo vi-*
ri esse debent, qui ad hanc Cenam
Domini sedere volunt, videat unus-
quisquè, ut accurate, & fortiter se
lavet in Confessione, & abstergat sa-
tisfa-

*tisfactione quanto enim magna deli-
quimus, tanto granditer defleamus.*

3. Exod. 16. 4. Existenti po-
pulo suo educto de servitute Baby-
lonica in deserto, & magnâ alimen-
torum penuria presso, Dominus plu-
ens manna sic loquitur ad Ducem
illorum Moysen: *Egrediatur popu-
lus, & colligat, que sufficiunt per sin-
gulos dies.* Verè res magno stupore
digna: populus ille in actuāli via
fuit in deserto, non sub tecto, sed
sub solius cæli umbra residens, un-
de ergo, ad colligendum manna e-
gredi debuerat: *Egrediatur populus.*
S. Rupertus scribens in hunc Tex-
tum ait: *Quod Dominus egredi man-
daverat populo non de domibus, quas
non habuit, non de tabernaculis, qui-
bus carebat, sed, ut dignè hoc de cæ-
lis colligat manna egrediatur prius
de pri-*

de pristina sua pessima conversatione,
 id est, de nequissimo illo murmure;
 de antiquis illis sordibus peccatorum,
 quibus contra DEUM, dum contra
 Duces ab illo constitutos pessimam suam
 consurgebat lingua. In hac Paschali
 mensa, cælesti nobis est preparatum
 manna, ut itaque dignè illud, & re-
 verenter colligamus necessè est, ut
 de antiquis inveteratis in nobis e-
 grediamur vitijs; de murmure pessi-
 mo, de lingua infami etiam inno-
 centes veluti cultri acutissimam bo-
 nam excoriantes famam.

4. Exod. 12. 8. ad comedendū agnum paschalem DEUS Ju-
 dæis assignavit tempus vernale,
 quō totus post hyemem quasi post
 senium reflorescit orbis, quō tellus
 universa vario florum condecora-
 tur colore. Edent carnes -- assas
 igni,

igni, & azymos panes cum lactucis
agrestibus. Hoc considerans supra
citatus Rupertus ita ad omnes Agnū
Paschalem Christum Dominum sci-
licet in Eucharistia sumere cupien-
tes inquit: Nonne sensatum decet
hominem, quatenus renovatus spiritu
mentis sue, fide viridis, spe latus,
charitate floridus, amore Zelosus, pie-
tate seraphicus, puritate Angelus Pa-
schalis Agni intersit epulis. Aurō,
cedrōquē notanda verba, qui enim
ita quasi renatus accedit ad Sancta
Sanctorum, jam effugit illud terribi-
le, quō Apostolus i. Cor. ii. 29. scri-
bens minatur: *Judicium sibi man-
ducat, & babit.*

5. Exod. 19. 10. Descensurus
Dominus in nube ad dandam legem
insolenti, & toties rebellione nota-
to populo, hanc præprimis cum
Moy.

Moysē seruo suo habet conferentiā:
 Sanctifico illos hodie, & cras; lavent-
 quē vestimenta sua, & sint parati in
 diem tertiam: die enim tertia descen-
 det Dominus coram omni plebe. Si
 DEUS præcepit filiis Isræl, ut sani-
 tificantur, ut lavarent vestimenta
 sua unicē ad percipiendam legem
 divinam, consideret unusquisque
 nostrum quanto major puritas, ex-
 cellentior sanctitas requiritur in no-
 bis, ut non jam legem, sed ipsum
 Legislatorem dignē suscipiamus.
 Hoc nobis exemplificans S. Legis-
 lator noster Augustinus sic alloqui-
 tur unumquemque: Rogō vos Fra-
 tres! nunquid est aliquis vestrum,
 qui in arcam sordibus plenam velit
 reponere vestem suam? si ergo in ar-
 cam sordibus plenam vestis pretiosa
 non reponitur, qua fronte in anima,

quæ sordibus peccatorum inquinata
est corpus Domini sacratissimum su-
scipitur. Communionis tempus non
est festum, atquè celebritas, sed con-
scientia pura, vitaquè à peccatis re-
purgata. ait S. Chrysost

6. Exod. 12. ii. Inter alias ce-
remonias, quas DEUS præscripsit
populo suo in sumptione agni pa-
schalis fuit hæc, ut baculos tenentes
in manibus illum sumerent: *Tenen-
tes baculos in manibus, & comedetis
festinanter.* Utquid rogo ista cere-
monia? Num potius cultros, & non
baculos deberent tenere? Respon-
det Doctor Angelicus S. Thomas
dicens: *Baculus significat iustitiam:*
quando ergo præcepit DEUS Iudeis,
ut baculos teneant in comedendo agno
paschali, nos profectò docuit, ut nos
priùs de nostris excessibus iudicemus

ante-

antequam ad sacram accedamus communionem.

7. Proverb. 23. 2. Præcepit o-
lim Salomon cunctis ad mensam
Principis accendentibus, ut cultrum
statuant in gutture suo: *Quando*
federis ad mensam cum Principe, sta-
tue cultrum in gutture tuo. Variam,
fateor, hæc Scriptura habet expla-
nationem, sed unam accipio, quam
affert Doctissimus Hugo, id est: *at*
iuguletur in te vetus homo. Ad men-
sam hodie magni Principis, quia i-
psius DEI accessuri sumus, necesse
est ergo, ut cultrum nostro appona-
mus gutturi veterem in nobis ho-
minem, plenum vitijs; plenum pec-
catis, ac vitâ ipsa pessima jugule-
mus. Caveamus nè contingent nobis
verba illa Christi Domini, quæ Ju-
dæ nequissimo contigerunt indignè

ad hanc sacratissimam mensam accedenti: *Unus ex vobis diabolus est.*
Joann. 6. 71. Angelica reverentia opus est, ait S. Augustinus, cum ad altare accedis; *Christus enim sumitur.*

8. Joann. 13. Veniens Christus Dominus ad cænaculum, quod patrari jussérat antequam traderet se ipsum in cibum Apostolis, primò voluit lavare pedes ipsorum. Quare hoc? Ecce ait V. Beda, *Hoc fecit JESUS, ut summam innocentiam ad sacram Eucharistiam suscipiendam requisitam esse demonstraret.* Nullus ergo, clamat D. Chrysostomus, accedat ad hanc diuinam mensam avarus, nullus Judas, nullus hypocrita, nullus in corde odium retinens, nullus ambitiosus, quia hic partem cum dæmonibus habet. Accedamus omnes

omnes ad illam mente, & corpore ca-
sti, corde humiles, conuersatione san-
cti, & ab omni prorsus culpa liberi,
laventur corda aquâ lachrymarum
compunctionis. O! affidat omnes sic
ad se accedentes de æterna salute
ipse Salvator noster Christus Do-
minus cuius verba pro coronide po-
no relata apud Domini Evangelistā
Joann. 6. 59. Qui manducat hunc pa-
nem, vivet in æternum. Amen.

Sermo I pro Vigilia Im- maculatæ Conceptio- nis B. M. V.

Liber generationis JESU Christi:
Matth. 1. 1

I. **N** aperto est Dilectissimi Li-
brum nobis proponere Domi-
ni Evan-

ni Evangelistam in Evangelio cra-
stinæ Festivitatis. Qualem Librum
certè illum, qui omni mendo, qui
etiam minimo caret erratō, qui de-
nique nulli subjacet suspicioni. Et
quis invenietur talis, qui Librum
hunc non optabit terere cum gustu
volvere, & revolvore sine fastidio?
quis dare gestiet Libro huic repu-
dij libellum? Liber hic suavis lectu,
memoriâ dulcis, auditu amorosus,
& jucundus. Liber hic, ille est, in
quo confessus est nostræ libertatis
libellus; Liber hic, ille est, in quo
adversus mortem confessa sunt ar-
ma: *Inimicitias ponam inter te, & mu-*
lierem. Gen. 3 15. Liber hic, est il-
lud templum, in quo DEUS ipse se-
cundùm Ordinem Melchisedech
factus est Sacerdos. Liber hic, est
ille deliciarum hortus, ex quo mul-
tipli-

tiplices gaudiorum colliguntur flo-
res. Verè paradisus DEI est Liber
iste; quia lignum vitæ inde profer-
tur. Liber hic, est illa concha, quæ
viva manens de intemerato sangu-
ine suo, rubrum ad instar purpuræ
lucens Paludamentum pro rerum o-
mnium Rege tinxit, & simul per il-
lud nuditatem operuit Adami. Li-
ber, inquam, hic, est illud confla-
torium, in quo conflatum est aurum,
& decoctum ad purum; natura hu-
mana ab omni labe purgata, verbo
unita; formatus annulus, lapis pre-
tiosus; & in eo imposita est forma
summi Regis, & imago impressa, &
plene expressa. Aurū optimū Caro
Christi; lapis pretiosus anima Christi.
figura, & imago, Patris, divinitas
Christi. Qui cùm sit splendor glorie,
Et figura substantiæ eius; Hebr. i. 3.

nihil-

nihilominus humanitati nostræ est
unitus; ut ex duabus naturis, esset
quasi in unū annulū junctus Mediator
DEI, & hominum, Homo Christus
JESUS, & fieret dexteræ Excelsi
ornatus. Pando quod sentio; myste-
riū aperio, Liber hic est Virgo Maria
orta de Tribu Juda, clara ex stirpe
David, de qua natus est JESUS, qui
vocatur, Christus. Ergo hæc facta
est illius Mater, qui cælum condidit,
& terram, & qui non fecit pecca-
tum, nec in cuius spiritu inventus
est dolus! Quis jam pessum ibit hanc
originali cuipæ subjacuisse! Certè
contra ejusmodi optimè militabunt
rationes, quas ulteriori adducam
discursu. A. M. D. G.

2. Nullus dubito scelus impi-
jissimum fore, peccatum actuale eti-
am veniale in purissima Virgine po-
nere,

nere, equidem, ut Sol Doctorum S. Thomas 3. p. q. 27. art 4 adver-
tit non solum, sed & palam docet,
minime esset apta, idoneaque in ma-
trem DEI, si aliquando peccato
consensisset; originalem verò cul-
pam longè maiorem veniali pec-
cato, quod nullatenus gratiæ DEI
est sublativum, omnes Scholæ con-
testantur: atque adeò Beatissima
Virgo haudquaquam originali sub-
jacuit noxæ. Eapropter D. Legisla-
tor noster August. libr. de natura,
& gratia optimè subinfert dicens:
*De Beata Virgine propter honorem
Christi nullam prorsus, cum de pecca-
to agitur, habere volo questionem.*

3. Neque verò quempiam pos-
se suppoto negare Divinam illam.
Nemesin potuisse ex suo inexhausto
gratiarum thesauro conferre privi-
legi-

legium illud Sanctissimæ Parenti,
 quod æquivalueret justitiæ originali,
 sicquè eam à quavis præservare no-
 xa, quod si potentia limites haud
 excessit, cur, quod excellentius est,
 Matri Domini non tribuemus! Asser-
 tum hoc, ut tanto majori efficacia
 fulciatur, testem appello S. Ansel-
 mum à Joanne de Dun: Scoti libr.
 3 distinc. 3. q. unica relatum, & di-
 centem: *Nonne castaneæ molli DE-
 LUS confert, ut inter spinas, & à spi-
 nis alatur, & formetur?* Non-
 ne hoc potuit facere Matri suæ?
 Planè potuit. Quod si potuit, &
 voluit: si voluit, & fecit. Quare Spon-
 sus ille cælestis cant. 2. I. laudat
 Sponsam suam: *Sicut lilyum inter
 spinas, sic amica mea inter filias.*

4 Nemo quoquè dixerit sen-
 tentia huic tam sanctæ Sanctorum
 Docto-

Doctorum oracula esse inimica,
imò in tantùm farent, quòd illam
luce meridiana reddant clariorem.
Nonnè S. Ambr. l. i. hexam. c. 8.
negat in lumine vitæ tenebras mor-
tis deberè inquire; cum nequeat
quidquam adinveniri splendidius
illà, quam splendor elegit! Nonnè
S. Aug serm. 20 ad FF. in Erem.
sive 10. de Nat. Chr. palàm coram
toto mundo fatetur dicens: *Sicut in*
cælo, qualis Pater, talis & Filius;
sic & in terra, secundum carnem,
qualis est Mater, talis & Filius.
Nonne S. Germanus Archiepisc.
Const. serm. de dorm. Virg. ma-
jorem dolorem animæ astruit hâc
immaculatâ privari, quâm corpori
ultimum dicere vale. Nonnè Jlde-
phonsus l. de parturit. Virg. con-
stanter asseverat constare eam ab
omni

omni peccato originali fuisse im-
munem, per quam non tantum ma-
ledictio matris Euæ soluta est, ve-
rū quoquè & benedictio singulis
condonatur. Carnem verò Virgi-
nis ex Adam assumptam maculas
Adæ nequaquam admisisse, sed in
candorem lucis æternæ conversam
esse testatur Petrus Damiani serm.
de Assumpt.

5. Certè ad hoc DEI Filius
decrevit ex muliere nasci, ut de-
strueret opera diaboli, & maximè
peccatum mundi, quod ejus mali-
tiâ, dum Evam decepit, introdu-
ctum est. Si ergo Cristus semen
mulieris, per mulierem Matrem suā
contritus erat caput serpentis,
quod est peccatum originale, reli-
quorum peccatorum caput; æquum
erat, ut mulier ista benedicta illâ
macu-

maculâ non contaminaretur. Et si
ædes Rahab DEUS ab incendij
conflagratione defendit Jos. 6. 25.
quomodo Sanctissimam Matrem ab
originali peccato non præservâset?
Si stabant aquæ Jordanis impetum
continentes, cùm transiret arca Do-
mini Jos. 3. 16. quasi venerando nè
contingerent fluxu: & non cessisset
culpæ originalis inundatio reveren-
tialiter parcendo Virgini Matri, quæ
vera arca DEI est; nè in concepti-
onis transitu naufragium pateretur;
Si fuerunt Jonas, & Danièl à mor-
te illæsi præter ordinem naturæ;
unus in ventre ceti, alter in lacu le-
onum: an non servârit DEUS Ma-
trem illæsam in utero Annæ à mor-
te spirituali, & à monstro terribili o-
riginalis peccati? O mi DEUS! vas
in quo

in quo locandum erat manna cæli-
cum ex auro purissimo Moyses ex
præcepto tuo fabrefecit: & Virgo
præclarissima, in qua collocandus
erat panis vivus, qui de cælo de-
scendit, non sine immunditia origi-
nalis culpæ fuit conceptus

6. Hanc doctrinam pientissi-
mam approbat Sancta Ecclesia Ro-
mana, enimverò in Concilio Basili-
ensi sess. 39. determinatum & statu-
tum est publicō decretō, quod do-
ctrina asserens Virginem Mariam
nunquam subjacuisse peccato origi-
nali, tamquam pia, & consona cul-
tui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ,
rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ
ab omnibus Catholicis est appro-
banda, tenenda, & amplexanda,
nulliq; licitum fore definit ibidem
sancta Synodus contrarium prædi-
care, seu docere.

7. Ea-

7. Eapropter nemo vestrum
 Dilectissimi imposterum animô hæ-
 sitet aut suspendatur de intaminata
 Conceptione Virginis Mariæ Ma-
 tris DÆI, ast, ut honor Matris in
 Filium refundatur, singuli eam pu-
 ram, ac sanctam, expertemque à la-
 be originali prædicemus. Filij ejus
 omnes sumus, eam ob causam fer-
 venti zelo ejus honorem tutemur,
 defendamus, promoveamus, con-
 servemus quantum vires patiuntur
 est necesse. Ad quod præstandum
 ipsa utiq; nos invitat, incitatvè dum
 apud Domini Sapientem Eccli. 24.
 31. continuò inclamat: *Qui elucidant
 me vitam æternam habebunt.*

Quam conferat nobis il-
 le, qui vivit, & regnat
 per omnes æternita-
 tes. Amen.

Sermo

Sermo II pro eadem
Vigilia.

*In transmigratione Babylonis, &
post transmigrationem Babylonis.
Matth. i. ii. 12.*

I. **T**ametsi primus generis huma-
ni Parens Adamus præce-
ptum à DEO accepérit, nè de ligno
in medio paradisi plantato vescere-
tur; benevolo attamen, & tenero
in conjugem suam amore ductus, &
victus divinum mandatum est præ-
varicatus. Unde & ipse, & conjux,
& nos quotquot sumus mortales è
paradiso deliciarum horto ejecti, &
in orbis exilium pulsi, & relegati
sumus. Eapropter, quòd defactò
infinitis, ut ita loquar, præmatur,
& opprimatur malis; quòd statu-
tum

tum sit hominibus semel mori Hebr.

9. 27. quòd tot crudelia, & exotica
bella in orbe sint excitata; quòd ur-
bes usurarijs, sylvæ, & saltus præ-
donibus, domus furibus, mare py-
ratis, tribunalia iniquis judicibus
plena sint; quòd omnis scientiæ bo-
nō vacui, adeoq; rudes nascamur;
quòd proni sint sensus nostri ad ma-
lum ab adolescentia sua, & caro
spiritui contradicat; quòd nondum
lucis usurâ donati candidâ innocen-
tiæ spoliemur veste; quòd prodea-
mus in hunc mundum filij iræ, &
vindictæ; quòd tanta pars hominū
cæcō modō ruat in tartara laci semi-
piterni; quòd ira, & oditum, & o-
mnis mala voluntas in orbe terra-
rum dominetur, augeaturvè dies in
dies. Ista, aliaquè id genus innume-
ra, pænæ sunt, & suplicia, quibus

Adæ culpam unicam, pôni morsû
 DEUS justissime castigat. Ex hoc
 namquæ draconis foco tantæ vipe-
 ræ prodivere. O infelix morsus! in-
 felix suggestio serpentis! *Eritis*
sicut dij. Gen. 3. 5. Ah quâm longâ,
 & arctam pænitentiam egerunt pri-
 mi Parentes de hac prævaricatione,
 minimè tamen pro illa satisfacere
 potuerunt cum in nos omnes per na-
 turalem propagationem diffundatur
 excepta Virgine Beatissima Maria.
 Patebit hoc ex dicendis. A. M.
 D. G.

2. Cant. 4. 8. Magnis enco-
 miorum laudibus celebrat Sponsus
 cælestis Sponsam suam dilectissimâ
 pulchritudinem ei, & venustatem
 omni ex parte, attribuens quâ vulne-
 raverat cor ejus in uno oculorum.
Tota pulchra es amica mea, &
cula

culta non est in te. Res, quæ dicitur pulchra, ex eo dicitur esse talis, quòd quaquà versùs talis habeatur; & plùs quam talis: sitq; pulchra, quæ eòdem modò semper se habet; ita, ut nec oriatur, nec intereat, nequè augeatur, nequè minuatur nequè partim pulchra, partim turpis sit; nequè hoc tempore pulchra sit, alio verò non item niteat. Atque adeò taliter explicata pulchritudo ubi quæretur si non in concavo lunæ Maria Virgine excepta: quodlibet enim, cui natura parens indidit, aut solertia humana excogitavit quempia decorem, labente temporis cursu necesse est in eodem statu haud permanere. Sic aurum rodit rubigo; pannum tinea depascit; acupi-
sturæ subjacent vetustati; prata ve-
re oculos delectant amænitate, hy-

eme nivibus sepeliuntur; flores modò
oriuntur, modò marcescunt, modò
moriuntur, seu in nihilum redigun-
tur. Adeoquè res omnis quantum
habet de mutatione, tantum quo-
què habet de ipso non esse, hæc-
què mutabilitas nihil aliud est, quam
mors quædam, quæ dum rem quam-
libet in aliam immutat, quasi occi-
dit, quod fuerat; ut incipiat esse
quod non erat. Floret juvenis ma-
nè rubescitquè, ut rosa, meridie ni-
gescit, vespere vultu palescit. Ubi
decor, ubi pulchritudo! Tempus
absumpsit, tempus consumpsit.

3. Pulcherrima pulchritudo o-
mnium pulchrorum Beatissima Vir-
go Maria, imò pulchrorum omniū
summum decus, & ornamentum,
cui Divinum illud elogium sugge-
stum

stum ab æterno Verbo Salomoni:
*Tota pulchra es haud conveniret, ut
advertisit Oliva tom. 2 conc. 2 in
Festo Immac. Conc. si in concepti-
one immaculata non fuisset: ideo-
què si Matri DEI id non conveni-
ret ob contagium originalis noxæ;
nè inanè, & fabulosum foret; debe-
ret mundus expectare à cælo mul-
ierem Mariâ majorem, quæ ex luto
Evæ compacta non esset, cui jure
dici posset: *Tota pulchra es, & ma-
cula non est in te.* Eapropter Idiota
contempl. &c. c. 3. optimè, & do-
ctissimè subinfert concludendo di-
cens: *Tota pulchra es Virgo glori-
osissima: non in parte, sed in toto: &
macula peccati, sive mortalis, sive ve-
nialis, sive originalis, non est in te;*
*nec unquam fuit, nec erit.**

4. Revera res admiratione
non

non mediocri, & notatu diligentius dignissima est, quod nec perfidus, atque impurissimus Mahomes purissimæ Virginis Mariæ hanc prærogativam, quod duntaxat absque labore peccati originalis fuerit concepta neget uti legere est in Mezlin, & Albacori Alcorani ejusdem; cum plurimi Christiani hanc ei ultroneè per fas, nefasvè pernegaverint. Utinam ejusmodi sapient, velim, & illud memoriâ non postremum, quod in Chronicis Fratrum Seraphici Patris 3. p. 1. c. 47. evenisse annotatur, alta retineant mente. Enimvero cum Doctor quidam in sacra Theologia Rector Universitatis Tholosæ publicè populo persuadere vellet gloriofissimam Virginem Mariam DEI Matrem in originali culpa fuisse conceptam, maximâ furiâ, & totius

totius concursu populi ab ipsa urbe
expulsus fuit: qui postea Romam
petens apud Sumnum Pontificem
Martinum quintum de injuria sibi
illata conquestus est. At cum Sum-
mus Pontifex auditō, & intellectō
meritō causæ discussionis disputati-
onisvè diem assignaret, & plurimi,
ijquè gravissimi Magistri ad hoc
negotium pacificandum conveni-
rent: cùmquè Doctor ille ad dispu-
tationem non venerit, nec in loco
designato comparuerit, eum vocari
jusserunt, & quæsitum in cellula e-
jus mortuum invenerunt, quod ma-
ximam admirationem, magnumq;
terrorem incussit omnibus, qui il-
lius partes agebant, ipsiusq; opinio-
nem tuebantur. Revera horrendus
casus, ast jucundiorem audite:

5. 1496. Annō Scotus in dispu-
tatio-

tatione, quam habuit cum Discipulis Alberti, cognomen Subtilis accepit. Cum idem Doctor ad defendendam Beatissimæ Virginis Mariæ Immaculatam Conceptionem (uti notat Lacor. Chrysog. S. J. Mundi Mariani part. 2. disc. 5) contra illius adversarios descenderet in arenam, brevemquè illam precatiunculam: *Dignare me laudare te Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos,* præmisisset ante ejus Simulacrum; ipsa Mater benignissime se se illi inclinare non est dignata: & in hodiernum diem inclinato capite conspicitur perseverare.

6. En! Vidimus jam (quamvis brevibus) Beatissimam Virginem Mariam sinè originalis culpæ noxa conceptam: modo superest, ut nos peccatorum sordibus totos inquinare.

quinatos ad purissimæ hujus Virgi-
nis pedes prosternamus, & per eam
culparum nostrarum omnium veni-
am obtestemur, precemurè, ut o-
pe misericordiæ ejus à peccato simus
semper liberi, & à peccandi peri-
culis securi. Quod, ut eveniat, can-
dido exopto corde. Amen.

Sermo III. pro eadem Vigilia.

*De qua natus est JESUS, qui voca-
tur Christus. Matth. i. 16.*

I. **P**Ostquam primus ille generis
humani Parens Adamus sto-
lam justitiæ per prævaricationem di-
vini mandati morsu pomi de ligno
vetito amisisset; futurum erat, ut is
una nobiscum omnibus sub tartareæ
potestate æternum gemuisset. Ve-
rūm

rūm misericordissimus DEUS, cui
proprium misereri semper, & parcer-
e, cogitavit super nos cogitationes
pacis, & non afflictionis uti inquit
Dominii Propheta Jer. 29. ii. Cog-
itavit, & decrevit Unigenitum suum
mundo Redemptorem dare. Unde
S. Joannes admirabundus exclamat:
*Sic DEUS dilexit mundum, ut Fili-
um suum unigenitum daret.* Joann.
3. 16. Tam sanctam Sobolem, sancta
nonnisi viscera suscipere debent. E-
quidem si agnum jugulare non sunt
ausi Machabæi in ara, quam hostiæ
gentium profanârunt: & DEI A-
gnus potuitnè concipi, ubi Levia-
than lusit, & scelus illusit! Si Judas
Machabæus (I. Machab. 4. 44.)
indecens judicavit, ut altare illud
DEO deserviret, quod falsis dijs

con-

consecratum erat ! quō pactō fieri
potuit, ut ille uterus, qui aliquando
mancipium fuerat orci, concepisset,
genuissetquē illum, qui est castissi-
mus Sponsus animarum sanctorum,
& cujus pulchritudinem sol, & luna
mirantur. Maria circumdedit Vi-
rum; Maria castis visceribus conce-
pit, & peperit Salvatorem mundi,
ut pote ipsa sinē originalis culpæ no-
xa concepta, & mundo data, uti
patebit ex dicendis. A. M. D. G.

2. Certum, & indubitatum est
voluisse Omnipotentissimum DE-
UM, Sanctissimam Matrem suam
eripere ab opprobrio, & infamia illa,
quod duntaxat non haberetur, ut
adultera, propter hocquē constitu-
isse, ut priusquam conciperet de
Spiritu S. Josepho fuisset desponsa-
ta: nē dicere auderent profligatæ
fæcis

fæcis Hebræi, eam ex adulterio concepisse. Satiùs enim verò putari permisit Dominus (ut rectè advertit Præsul Mediolanensis D. Ambrosius homil. super Matth.) de suo ortu, quām de Virginis pudore dubitari, & potius voluit, ut Judæi cogitarent, ipsum esse filium Joseph fabri lignarij, uti defactò supposuerunt, cùm ei convitij loco id impropperabant dicentes: *Nonnè hic est faber filius Mariæ* Marc. 6. 3. quām, ut existimarent, & crederent, purissimam Matrem suam adulteram fuisse. *Nec putarvit* (ait memoratus Doctor) ortus sui fidem Matris iurijs astruendam.

3. Ast majus oprobrium, & magis contra honorem Sanctissimæ Virginis Mariæ fuisset, si ipsi quoquo tempore peccatum originale prædomina-

minatum fuisset, & orci princeps in illam potestatem quamquam habuisset, fuissetquè filia iræ, & vindictæ, ac condemnationis æternæ, quæ omnia plus erant, quam falsis Hebraeorum testimonijs injustè, falsoquè infamari. Atque adeò si DEUS propter honorem maternitatis eam præservavit ab opprobrio, & falsa calumnia adulterij; quis eam dicet tali speciali privilegio non præservatam ab originali peccato fuisse. Hinc Doctus Nierembergius de am. erga B. V. c. 9. egregiè admodum, & sapienter: *Juxta communem Patrum sententiam, (inquit) primus Adam Christum Dominum præfiguravit; Eva verò B. Virginem. Sicut ergo terra, ex qua productus erat Adam, nulli unquam maledictioni obnoxia fuerat: ita & B. Virgo, ex qua*

qua secundus Adam prodijt, nulli origini peccati maledicto subiacuerat.

4. Quod si verò Sancta Mater Ecclesia profiteatur, DEUM honoris gratiâ intuitu maternitatis præservasse ejus corpus à vermium corruptione, longè profectò majus opobrium fore animam culpa infici originali, quam corpus corruptione oneris involvi unicus non agnoscit cæcus. Eatenus Regius Paraphrastes Psal. 45. 6. *Adiuvabit eam* (inquit) *DEUS manè diluculo.* Ubi alia versio habet: *Adiuvabit eam DEUS in ortu auroræ*, per quod significare vult Beatissimam Virginem Mariam nec mortaliter, nec venialiter, nec originaliter peccasse, sed, ut purissimam auroram conceptam in mundum prodijisse, in mundo vixisse.

5. Et verò: Non enim unō modo so-

dō solent Medici curare Regem,
& hominem plebeum, sed alio Re-
gem, & alio populum communem.
Regi enim priusquam olfaciat infir-
mitatem farmaca præservativa adhi-
bere solent, nè nimirum infirmetur,
ast populum communem nuspiam
curant antequam ægrotet, & ple-
rumquè in octavo gradu. Omnes,
& singulos filios, & filias Adæ mis-
ericordissimus DEUS curavit, post-
quam in peccati ægritudinem pro-
labsi fuerunt: Sacratissimam vero
Virginem, quippe, cum eam crea-
verit, ut Regina cæli suaquè fieret
Mater, ipsam curavit suis divinis,
& locupletissimis gratijs præservan-
do. Ad hunc sensum loquens Spir-
itus Sanctus cum Ecclesia inquit: Si-
cūt iurris David collum tuum, que
edificata est cum propugnaculis Cant.

4. 4. Atque adeò collum Ecclesiæ
est purissima Virgo Maria; equidē
quemadmodum in corpore humano
est collum post caput, quod altiore
sibi vendicat locum: pari modo lo-
quendo in Sancta Ecclesia post ca-
put, quod est Christus Salvator no-
ster Sanctissima Virgo altius præ sin-
gulis eminet creaturis: & quemad-
modum collum est via veluti, per
quam influentia capitis in corpus
fluunt, & humores corporis in ca-
put ascendunt; ita pientissima hæc
Regina, & Mater misericordiæ est
mediatrix, & advocata per quam
orationes Ecclesiæ ascendunt ad
cælestè caput, quod est Christus, &
per eam divini favores velut ros in
terram descendunt, & sparguntur.
Istud autem collum est admodum
turris illius Davidis, quæ ædificata
fuit

fuit propugnaculis vallata: etenim Sanctissima Virgo in sua sacratissima conceptione ædificata est cum gratijs, & divinis, atquè altissimis donis, atquè ita fuit præservata ab illa labo originali. Quare ad nostrum propositum recte Rupertus l. 2. de vict. DEI c. 16. Stetit (inquit) quidem draco ante mulierem; serpens namquè insidiabatur, nè fieret, quod proposuerat DEUS. At DEUS propositi sui victoriam in potestate habens, mysterio à seculis abscondito Immaculatam iam sibi Matrem degenerat. Cui adstipulatur Richardus à S. Victore l. 1. in Cant. dicens: *Virgo tenebrarum principibus semper fuit terribilis; ut ad eam accedere non præsumpserint.*

6. O! mi DEUS si impius filius haberetur qui potestate habita

K

con-

condendi gravissimam legem, matrem annumeraret vulgo. Si in Ægypto sola terra Sacerdotalis (Gen. 47.) fuit immunis ab omni tributo. Si (inquam) indecens judicavit DEUS in tabulis (Ex. 34. 1.) licet summō artificiō reparatis legis præcepta, & verba sua scribere , quomodo in Maria Verbum suum scripsisset, si prius nevum habuisset! Cujus patrociniō, ut à vinculis peccatorum nostrorum quantocytus eximmatur, & perfecta filiorum DEI libertate donemur, jam nunc eandem per immaculatæ conceptionis prærogativam devotissimè obtestemur, repetamusquè: *Sancta Maria succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, seantiant tuum iuvamen, quicunque celebrant tuam sanctam conceptionem.* Amen.

Sermo

147

Sermo I pro Vigilia Pu- rificationis Beatissimæ Mariæ Virginis.

*Postquam impleti sunt dies purgatio-
nis Mariæ secundum legem Moysè-
tulerunt JESUM in Jerusalem,
ut sisterent eum Domino. Luc. 2. 22.*

I. **Q**uanta Beatissima Virgo Maria per quadraginta dies in stabulo illo Bethleemi degens, quæquæ materna erga parvulum, illumquæ primò genitnm DEI Filium Jesulum exhibuerit officia, nullus effari scit, & valet. Quod verò tantæ Majestati inserviendi nacta sit felicitatem, tantò perfusa fuerat animi solatiō, ut rerum mundanarum prorsus obliata, quadraginta dies, duxerit prou-

no. His effluxis vadit Jerosolymam; sistit Neo-Natum Domino; offert pro illo par columbarum, munus duntaxat pauperculis statutum, & ut Sacerdos pro sui oret emundatione, enixe precatur. O Virgo amantissima quorsum hæc! Utique tu totius mundi es Advocata! Utique per te accessus nobis panditur ad omnes promerendas, & recipiendas gratias! Utique tu es *tota pulchra, Et macula non est in te!* Cant. 4. 7. Utique tu es pura opere, sermone, cogitatione, purificationis legi minime subiecta! *Utquid ergo Sacerdotum prece, quid purificatine tibi opus est?* (quærit Bernardus serm. 3 de Purif.) Vere, ò Beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed nonquid filio tuo opus erat circumcisione! Esto inter multi-

mulieres tamquam una earum, nam
 & filius tuus sic est in numero pecca-
 torum. Maria Regina cæli, Mater
 DEI humilimè semper de se sentie-
 bat, & Religiosus, magnus apud
 homines gestet apparere! Non, si
 ea altius menti, & cordi impresserit,
 quæ subsequò adducam discursu.

A. M. D. G.

2. Omnium nostrum (ut be-
 ne supponitur) quiq[ue] genus vitæ
 Religiosæ amplexi sumus non alia
 fuit intentio in primordijs conversi-
 onis, quā, velle nos ababus (ut ajunt)
 amplecti ulnis, quæ mundus novit ha-
 bere exosa; fugere verò quibus ille
 potissimum laudes suas texere con-
 sivevit: atque adeò velle nos semper
 parvos, & nunquam magnos coram
 alijs corde, & opere reputare. Et
 cur non & defacto! Utique sumus
 disci-

discipuli illius, qui ad eò semetipsum
exinanivit; ut omnibus, & in omni-
bus, volo dicere, omni hominum
sorti sìne delectu, & omnibus inju-
rijs, calumnijs, tormentis, & cruci-
atibus se subjucerit absque ulla ex-
ceptione, exemplumque dedit no-
bis, ut quemadmodum ille fecit, ita
& nos facere debemus.

3. Et verò: utique appropin-
quante jam jam illius sacratissima
Passione nullum penè genus homi-
num fuit, quod augendis ejus cru-
ciatibus, calumnijs & tormentis
quampliam operam non subministrâ-
set. Mos, & consuetudo legem po-
suere, quòd in capitali illa animad-
versione uni duntaxat alterivè admi-
nistro permitatur reo manus infer-
re; ast quis non videt in Christi
Passione quemlibet pro libitu, &
arbi-

arbitrio illum posse affligere: Sit
Dux an miles; sit Judæus, sit gen-
tilis; sit sacerdos, sit laicus; sit Do-
minus, sit servus; sit dives, sit pau-
per; sit juvenis, sit senex; sit vir, sit
fæmina, nîl officit: omnis aditum
liberum habet, singuli habent pote-
statiem, ut suum crucient conditorē;
quod ipsum testatus est Salvator
cohorti illi ex omni hominum sorte
conflatæ, quæ ad capiendum illum
confluxit: *Hec est (inquiens) hora
vestra, & potestas tenebrarum.* Luc.
22. 53. Tamquam diceret: Illa est
hæcce hora, quâ indultum est terræ,
& inferni abyssō, hominibus, & dæ-
monibus, ut confluant, conjurentq;
in perniciem, & mortem meam.

4. Porro in singulis omnibus-
quæ se subjicit: nullum enimverò
ad in-

ad inventum est pænârum, dolorū,
acerbitatum, & tormentorum genus,
cui se Salvator noster non subje-
cisset. Subjecit se namquè dolori-
bus internis, tristitiae, tædij, timoris,
& agoniae tam acerbæ, ut hæc illi
sanguineum planè expresserit sudo-
rem. Subjecit se doloribus exter-
ni in corpore, nulla, nè minima qui-
dem parte à singulari suo cruciatu
immuni, quorum acerbitas ex cir-
cumstantijs maximum sumpsit in-
crementum: & quidem primò ob
delicatam ipsius complexionem,
quæ, quemadmodum fuerat Spiritus
S. operâ ex Virginis intaminatae san-
guine peroptimè efformata, ita quo-
què ad singulos per quam erat tene-
ra doloris sensus. Secundò ob con-
tinuitatem tormentorum: cùm
nè momentum quidem quietis
ipsi

ip̄si fuerit relictum ab exordio passio-
nis usq̄e ad finem. Tertiō ob mul-
titudinem, & diversitatem tormento-
rum: ingeniosa enim, & industri-
osa lictorum crudelitas semper nova
excogitavit, quæ inter fuerat spi-
nea illa corona, aut ordinaria recen-
ti exasperavit furore: adeò, ut n̄isi
amantissimus hic Salvator noster
Divina virtute fuisset confortatus
ad trabale illud lignum bajulandū,
vel soli verberum tempestati cessis-
set, adeoquè sub illa animam exha-
lasset.

5. Subjecit se demum illis,
quæm in fama fuit perpeſſus cū scele-
ratis reputatus Iſa. 53. 12. Utique fuit
seductor populi, potator vini, impo-
ſtor, & blasphemus sceleratorum
judiciō declaratus, Barabæ ſedicio-
ſo mitiſſimus Agnus poſtpositus, la-
troni.

tronibus comparatus. Subjecit se,
quæ concernunt honorem mille o-
pro brijs, ludibrijs subsanationibus,
& execrationibus impetus: à via
enim verò contemptus ejus adversa-
rij ad horrorem, & execrationem
usquè profilierunt: hinc optimè de
illo vaticinatus est Domini Pro-
pheta Thren. 3. 30. *Saturabitur
opprobrijs.*

6. Subjecit se tandem quan-
tum ad animam miserrimo illi sta-
tui derelictionis, in quo non solum
à singulis hominibus etiam charissi-
mis discipulis, quorum alij in disper-
sionem acti sunt, alij prodiderunt,
alij negaverunt, & nesciisse se ho-
minem etiam juramentō affirmave-
runt; ast quoquè in extremis crude-
lissimæ mortis angustijs dolorum
inter cruciatus, & opprobria ab ipso
suo

suo Patre Cælesti in amarissima desolatione fuit derelictus. Hinc in sequentia prorumpit lamenta: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me!* Matth 27. 46.

7. Amplectamur proin Dilectissimi exemplō Salvatoris nostri, Matrisquē ejus Sanctissimæ humilitatem verè virtutum omnium, & omnigenæ felicitatis fundamentum. *Magnus esse vist à minimo incipe,* inquit Orator Hyponensis, cui stipulatur Præsul Constantinopolitanus D. Chrysostomus orat de humilit. tom. 5. dicens: *Nisi hanc (humilitatem intelligit) prius fundenti vice ieceris, omnia abs te frustra superstruuntur, nihil est enim in nostris recte factis, quod sine ea stare possit.* Notat Pierius 27. hieroglyph. purpuram pisciculum, qui ascendit ad re-

ad regium ornamentum, in imo quæri pelagi debere, ubi unicè reperiatur. Pulchra sanè humilitas, & præ purpuris pretiosa de qua S. Ludovicus Episcopus Tolosanus ita habet: *Nihil tam gratum DEO, quam si vitæ meritô magni, humilitate simus infimi. Cùm tantò quis DEO sit pre-
tiosior, quanto propter eum sibi est vilior.* Laudat quoquè Sponlus Cælestis Cant. 7. 1. Sponsam à gressibus inquiens: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis, tam-
quam nihil aliud pulchrum adinve-
niretur præ pedibus humilitatis.* His in pedibus consistimus securè, gradi-
mur & ascendimus feliciter, & illius possessionem hæreditatis, ac gloriæ fortunatissimè adimus æviternæ. *Quod, ut eveniat, candido exopto corde.* Amen.

Sermo

Sermo II. pro éadem Vigilia.

*Ut darent hostiam secundum quod
dictum est in lege Domini, par tur-
turum, aut duos pullos columba-
rum. Luc. 2. 24.*

i. **A**dmirandam Virginis Beatissi-
mæ paupertatem nullus est,
qui prædicet sufficienter; quia in
tam nobili Virgine, & Matre DEI
maxima fuit, uti advertere licet jam
ex sponso ejus fabro, jam ex præan-
gusta ejus domuncula hæreditaria
successione sibi obventa, jam ex sta-
bulo Bethléemico. Modicum id,
quod habuit, amore sui Filij mox
reliquit domunculam duntaxat pau-
perculam unà cum supellecili, quan-
do ei

do ei de noctesurgendum fuit, &
repente migrandum in Ægyptum.
Nullas etiam opes concupivit, quas
cum a filij potentia mille modis im-
petrare, & mille etiam titulis habe-
re posset, respuit, contempsit. No-
vit perbellè eum ex aqua posse fa-
cere vinum, & quidem excellentissi-
mum; copiam piscium capere in-
gentem; thesauros incomparabiles
comparare, nihil attamen uspiam ta-
le poposcit. Dona trium Regum
magnifica vel non admisit integrè,
sed delibavit tantum ob mysterium;
vel admissa mox pauperibus distri-
buit, ut vult Cherub Marianus D.
Joannes Bonaventura in vita Christi.
In Ægypto inter, ignotos, hostiles,
& gentiles quantam, putatis, passa
est paupertatem per anos septem,
cum nihil in eam attulerit secum.

In

In purificatione pro filio, non phaleras aureas plenas coronatis, ast munus pauperum, pullos duos turturū offert. O nostra tempora deploranda! Quis est, qui in tanto amore habeat paupertatem? Mittamus interim alios, nobis, utpote olim voto solemni jurata, apprimè cordi erit vel ex illis, quæ ulteriori adducam discursu. A. M. D. G.

2. Paupertas, quam profitemur Religiosi, non ab hominibus est excoxitata, sed illata mundo simul cum Evangelio salutis. Etverò: Joannes Præcursor Domini, & primus prædicator Evangelij, ipse dimissis omnibus, factus est incola deserti, contentus locustis, & melle silvestri pro cibo, & cilicio de pilis camelorum pro vestimento prædicans regnum DEI, & suclamans: Qui habet

habet duas tunicas, det non habenti:
¶ qui habet escas similiter faciat.
Luc. 3. 11. Post dictum venit in ter-
ras Filius DEI, non, ut delicijs per-
fruatur, sed, ut paupertatem secte-
tur; fatetur enim de illo aliis Do-
mini Evangelista dicens: *Vulpes fo-*
veas habent; & volucres cœli nidos;
filius autem hominis non habet, ubi
caput reclinet, Matth. 8. 20. illequè
prædicans, quæ, & quanta sint illa
gaudia æternæ felicitatis subjunxit:
Qui non renunciat omnibus, que
possidet, non potest meus esse discipu-
lus. Luc. 14. 33. Post ascensionem
hujus in cælum missus est Spiritus S.
visibiliter in specie flamarum, &
adeò accedit corda credentium, ut
restetur Pagina sacra Acto. 2 44.
omnes fuisse pariter, & habuisse o-
mnia pro usu communi, possessiones,
& sub-

& substantias vendidisse, & divisisse
illas prout cuiq; opus erat. Ad hæc
duces illi fatoresquè fidei intonant
constanter, & sinè vel modica inter-
polatione: *Ecce nos reliquimus omnia,*
¶ secuti sumus te. Matth. 19. 27.

3. Nequè verò audeat quispiā
supponere hoc genus vitæ in San-
ctam Ecclesiam, sinè certa illaque
cumulatissima sponsione Divinæ il-
lius Nemesis introductum: equidē
Magister ille Cælestis interrogatus
ab Apostolis quam mercedem re-
cepturi forent pro eo, quod omni-
bus renunciassent, illico respondebat:
*Amen dico vobis: nemo est, qui reli-
querit domum, aut fratres, aut so-
res, aut patrem, aut matrem, aut filios,
aut agros, propter me, ¶ propter E-
vangelium, qui non accipiat centies
tantum nunc in tempore hoc, domos,*

C fratres, *C* sorores, *C* matres, *C* filios, *C* agros, -- *C* in seculo futu-
ro vitam æternam. Marc. 10. 29 3c.

4. Atque adeò qui suis amore Christi nuncium remittunt; possi-
debunt hæc singula ad usum, non
ad opes, aut quandam proprietatem
possessionis; Ast, ut his debitè utan-
tur, abundantissimè per flumen illius
charitatis; ita Spiritu S. ordinante,
qui unus omnium corda tangit, re-
git, manifestat ad unum quodque
membrum corporis mystici instru-
untur non aliter, imò & longè per-
fectius, ac unus spiritus vitalis singu-
lorum membrorum vires, opes, offi-
cia convertit in usum, partium reli-
quarum corporis ejusdem quantum
unaquæq; earum sibi vendicat, &
neq; plus quidquam requirit adsci-
tarum.

5. Non

s. Non est quidem hic sensus
ille, tamquam deberent accipere
centum domos pro una, aut verò
centum agros pro uno, vel centum
matres pro una; hoc enim veritas il-
la æterna minimè dicit, ast asseverat
centies tantum domos, agros, fra-
tres scilicet accipiunt, id est, centies
tantum emolumenti, utilitatis, ac
beneficij derivat in illos ex domibus,
& agris alienis, ex fratribus, ex soro-
ribus, matribusquè non suis, quantū
ex suis trahere potuissent. Singu-
larum namquè domorum januæ eis
patent, omnium eis agri afferunt
fructus, singuliquè piam sestantes
vitam officijs suis longè plus quam
paternis, aut maternis, aut fraternis,
ijs nupsiā defunt. His accedit,
quòd habeant cunctos fidei compa-
ticipes pro fratribus ac si eadem vi-

scera eos foras fudissent, quemadmodum sunt per una viscera unius JESU Christi, ejusdemque Spiritus S. nova creatura in DEO. Nacti sunt præterea omnes, qui regendi, instruendiq; in Ecclesia munia obeunt, tum pro venerandis, colendisquæ patribus tamquam illis vitam dedissent, quemadmodum & dederunt, intelligendo, quâ dei formes efficimur, Evangelicam vitam. Eatenus Doctor ille Gentium Paulus sine rubore Epist. i. ad Corinthios cap. 4. v. 15. intonat dicens: *Si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo JESU per Evangelium ego vos genui.* Singuli denique qui buscunque illi quodpiam augmentum gratiæ Evangelicæ contulerunt, veluti proprios filios complectuntur, prout

prout patet ex illo, ubi memoratus
Doctor Gentium Epist. 4. v. 19. Ga-
latis scribit: *Filioli mei, quos iterum
parturio, donec formetur Christus in
vobis.*

6. Amemus igitur Dilectissimi
professam olim paupertatem, diliga-
mus eam tamquam matrem nostram
locupletissimam, & fiet quod illâ
ditati, thesauros nobis comparabi-
mus æviternos. Amen.

Sermo III. pro eadem Vigilia.

Secundum quod dictum est in lege.

Lucæ 2. 24.

1. **P**Er quadraginta annos, quibus
populus DEI ambulavit per
desertum, non fuerunt ruptæ, nequè
attri-

attritæ vestes eorum. Ita nos quamdiu in hac vita fuerimus commorati, vestes animæ, virtutes duntaxat, sanas, integras, ac mundas conservare debemus. Hæ animæ vestes sunt contrariæ corporis vestimentis.
Enimverò vestimenta corporis quanto magis usui sunt, & quò magis portantur, eò magis consumuntur, & conteruntur; & si per humum trahuntur, omnino destruuntur. Ast vestes animæ, quanto magis usui sunt, tanto apparent illustriores. Hæ vestes in quo splendidiores uspiam füre, si non in illa, quam sibi splendor æternus in Matrem elegit ab æterno.
Et quamvis splendidissimè fuerit illis ornata; allaboravit attamen nihilo minus per omnimodam legis Divinæ obseruantiam, tanto magis dies, in dies clarere. Minimè indigebat puri-

purificatione, ut tamen satisfaciat legi, cui subjecta non erat, sistitur in templo tamquam re ipsa purificanda. Atque adeò, quicunque nostrum cupit, & desiderat tali animæ appara-
tu splendere, minimum iota legis professæ observet est necesse. Ad quod antidotō succurram dicendis.

A. M. D. G.

2. Lex professæ cùm totum Re-
ligionis respiciat corpus, æquè ca-
put, ac totam membrorum compa-
gem sustentat, ita, ut sinè unanimi,
& ordinata ejus observantia, dissili-
pari totum necesse sit. Super quo
extat S. Concilij Trid. oraculum sic
sonans sess. 25. cap. 1. *Sacra Synodus*
præcipit, ut omnes Regulares ad Re-
gulæ, quam professi sunt, præscriptum,
vitam instituant, & componant, atquè
in primis quæ ad suæ perfectionis, seu
pro-

professionis perfectionem, aut obedientiae, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis particularia vota, & precepta ad eorum respectivè essentiam, necnon ad communem vitam, victimum, & vestitum, conservanda pertinentia, fideliter obseruent.

3 Revera magna impietatis nota, ac periculi prorsus plena, licentiae se in illis quæ DEO sunt olim jure jurando litata, equidem super hoc timendum horrendum illud: *Impius, cum in profundum venerit contemnet. Minima à dissipato spiritu nonnulla censentur, sed audiatur de minimis loquens Magnus Pater Augustinus: In minimis esse fidelem magnum est. Utique etiam pro paleis in jure Canonico habentur additio-*

nies ad

nes ad decretum Gratiani, & tamen
merentur sui obseruantiam, pari mo-
do quæ putantur paleæ observatio-
nes, Gratiani, seu liberi sub gratia
constituti custodire nitantur, ut u-
nusquisque audire mereatur: *Quia*
in modico fuisti fidelis, supra multa te
constituam.

4. Nequè verò natura (Pli-
nio teste) magis, quam in minimis
tota est. Artium item magnificentia
nuspian glorioſior apparet, quam
in parvis operibus remonstrata, ita
quoquè Regularis vitæ structura, eò
perfectior apparebit, si illa etiam,
quæ deformitatem peccati non por-
tant, aſt ornamento ejus serviunt,
& perfectioni, ad eandem quoquè
studiosè, coaptentur. Sinè dubio
addent candorem structuræ vitæ Re-
gularis, ac obſeruantem cælo can-
dida-

didabunt. Jejunia indispensabiliter
observata addent splendorem, præ-
seryabitq; eam à ruinis diligens sen-
suum portaria, modestia duntaxat
in incessu, statu, & habitu deportata.
Avertent tempestates hujus structu-
ræ vitæ Regularis nocivas silentia
exactè custodita, divitem reddent
cura boni communis, disciplinæ,
cellæ solitudo, inclinationes, aliæ-
quæ ordinariæ, & extraordinariæ
mortificationes fideliter adimpletæ:
sine his autem informem, ruinosam,
squalidam, oculis externorum exo-
sam, ac planè miseram fore dictam
structuram, ita, ut illius supremus
Architectus lamentari cogatur cum
Propheta: *Confregisti iugum meum,*
dirupisti vincula, dixisti non serviam.
Jerem. 2. 20.

5. Certè ferventes mundi ser-
vi ad


vi ad apicem legem illius observant
adeò quidem, quòd in minimis quo-
què eidem studeant complacere;
servi etiam DEI modica spernentes
paulatim decident. Quod ipsum
D. Legislator Augustinus dolenter
commemorans subinfert: *Testis est*
DEUS super animam meam, ex quo
DEO servire cœpi, quomodo difficile
expertus sum meliora in ijs, qui in
Monasterijs spernendo modica cecide-
runt. Quod quantō Religioni, imò
Ecclesiæ insipidum sit, notat Baro-
nius sequentibus verbis: *Nihil infe-*
stius in suis membris Ecclesia patitur,
quam Religiosos à paternis institutis
deficientes: Eatenus Cassiani admi-
niculò fultus sentio expedire pluri-
mum juxta propositum, qnod liberè
quidem electum est, summô studiô,
& diligentia ad operis perfectionem
perve-

pervenire arrepti festinare, & nequam à fine olim gutturi svavi descendere perfectionis.

6. Proinde colligenda fragmen-
ta etiam (quæ nempe forte dicun-
tur quandoquè non obligare) nè
pereant. Utiquè minuta auri haud
permittit pessumire à sua, artifex li-
ma! Et quis jam hæc quibus æterna
promereri possunt negligentiæ da-
bit! Nullus hoc cum D. Chrysosto-
mo approbabit. Enim verò quemad-
modum opes corporis accumulan-
tur, cùm compertum sit illarum, nè
minimum quidem negligere, amato-
res; perinde de spiritualibus divitijs
sentiendum. Nequè stipulatani da-
bit, dicere: hoc non esse præcepti
stricti; illud neutquam obligare; ali-
ud non esse in usu. Etenim de his
cum Domino disputare, dedecet.

Christianum, quidni Religiosos.

7. Tenenda est quoquè firmâ memoriâ & illa D. Legislatoris cautio: *Nè per oblivionem aliquid negligatis.* Adeoquè quidquid textus canonis, seu Regulæ habet; quidquid est præceptorum DEI; statutorum Majorum, exactè, & inviolabiliter observandum. Et ut verbis Principis Apostolorum (2. Petr. 3. 17. & 18.) loquar, præsentiquè dictioni finem imponam: *Vos igitur Fratres hæc præfcientes custodite: nè insipientium more traducti excidatis à propria firmitate: crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saviouris JESU Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.*



Sermo

Sermo I. pro Vigilia Annunciationis Beatissimæ Mariæ Virginis.

Missus est Angelus Gabriel à DEO.
Luc. i. 26.

Quorsum hæc legatio cælestis? quorsum fortitudo DEI Gabriel Angelus mittitur? quid annunciare debet? ad quem mittitur?
Missus est Angelus Gabriel à DEO. Mittitur de cælo à DEO in terrigenarum lachrymabilem vallem, in civitatem David, Filij DEI Incarnationem; hominis è compedibus peccatorum liberationem, nunciaturus. O solatium! O gaudium! quia peccatum suum jam tandem aliquando accipiet finem. *Missus est.* Mittitur hicce Genius cælestis ad Virginem

net illam, quæ fuit Virgo corpore,
& mente; moribus, & verecundia;
oraculō, & mysterio; ab originali
labe præservata; ab æterno sine di-
spendio claustrī virginalis in Matrem
DEI electa; ex progenie David
prognata; Maria nuncupata. Et ne-
què hicce Nuncius divinus suo mu-
nere frustratur. Ut enim reponit so-
boles hæc sanctissima: *Ecce ancilla*
Domini, fiat mihi secundum verbum
tuum, illicò gratiā repleta Spiritus
S. fætu Divino gravidatur. Exultet
modò Sanctus (ait Leo Papa in Na-
tali Domini) quia propinguat ad
palmam; gaudeat peccator, quia invi-
tatur ad veniam: animetur Gentilis,
quia vocatur ad vitam. DEI namquè
Filius, secundum plenitudinem tem-
poris, quam divini consilij inscrutabi-
lis altitudo disposuit, reconciliandam

Autho-

*Authori suo, naturam generis assum-
psit humani, ut inventor mortis dia-
bolus, per ipsam, quam vicerat, vin-
ceretur. Omors, ero mors tua! mor-
sus tuus ero inferne! Non erit, in-
quarn, talis mors, quæ non vincere-
tur vitâ æternâ, vitâ, inquam illâ,
quæ de se dicit apud Evangelistam
Joann. ii. 25. Ego sum vita: infernus,
cujus fores non reserarentur clavi.
David, quæ aperit, & nemo claudit;
claudit, & nemo aperit: Verbum e-
nim æternum Sanctam fæcundat Pa-
reniem. Fiat mihi secundum verbum
tuum.*

2. Pectora in Christo Dilectissima! consensus Mariæ legationi Ga-
briëlis, facit Mariam DEI Matrē,
& inde felix unà nobiscum; felicio-
ribus: etenim si inspirationes divi-
nas, quæ sunt nuncij ad nos cælitùs
missi,

missi, secundum omnem earum virtutis plenitudinem, & extensionem recipere mus, magnos profectò in perfectione profectus faceremus. Inspirationes namquæ divinæ faciunt possessores virtutum, quod plurimum a Religiosis desideratur, uti patebit ex dicendis. A. M. D. G.

3. Non sufficere Virum Religiosum uno, altero vè virtutis splendorе eminere, ast omnibus virtutibus debere esse ornatum S. Chrysostomus hom. 10. in Matth. affirmat. Et rectè: Anima enim verò Religiosa est illa sponsa, cui assistendum est Christo Sponso, circumdata varietate Psal. 44. 10. hoc est: non solo debet esse nitida vestita charitatis fulgore; non solo niveo castitatis candore; non solo pulleo paupertatis colore; non solo obedientiæ virore,

M sed,

sed, ut vult D. Amadæus hom. 2.
omni virtutum lapide pretioso, ita,
ut nulla virtutis, nulla meriti gem-
ma, nulla prorsus eximia perfectio-
nis margarita desit ejus ornamento.

4. Atque adeò, ut ex commu-
ni ad particulare faciamus digressum,
operimentum obedientiæ, aliæquè
qualitates Religiosos, milites dun-
taxat Christi ornantes adsint opor-
tet: præfata enim obedientiæ virtus
D. Legislatore Augustino asseveran-
te sola tenet palmam, quemadmo-
dum sola inobedientia adinvenit o-
lim pænam: securus est obediens de
palma, si gradus à Lacteo Doctore
D. Bernardo præscriptos tenuerit,
videlicet: si libenter, simpliciter,
hilariter, velociter, viriliter, humili-
liter, indefinenter viam mandatorū

DEI

DEI incedit. Fidelis obediens (se-
sus est laudati Bernardi) ignorat
singulas moras, craftinum habet exo-
sum, nescit tarditatem prævenit
mandantem, accommodat aures audi-
tui, linguam voci, manus operi, pe-
des itineri, & sic se totum intra col-
ligit, ut mandato satisfaciat imperan-
tis. Eatenuis fugienda omnis resi-
stentia, seu quælibet obedientiæ re-
nittentia. Pestiferum malum, nullus
est, quem lateat, illud fore scaturis-
ginem omnium malorum. Adhuc
namquæ in Paradiso commissam in-
obedientiam, omnis generis miseri-
arum humano generi impendentium
causam fuisse eorum lugemus. Præ-
tereo silentio particularia inobedien-
tium, aliunde nota, exempla horren-
da, ast recommendo timendam esse
in Paradiso Religionis, quæ Paradi-

M 2 sum

sum amisit cælestem; atque adeò quemadmodum meritoram obedi-
entiam ambabus, ut ajunt, ulnis am-
plicetendam, ita perniciosa inobe-
dientiam cane pejus, & angue in-
gemino fugiendam.

5. Porro ad desideratum cul-
men perfectionis venit commen-
dandum humilitatis decus. Certè
sinè hac vix aliqua virtus sanctitatis
documenta præfert, hancquè ad per-
fectionem Religiosam ita fore ne-
cessariam indicavit Magister Chri-
stus, ut primus ejusdem Author,
Professor, & Doctor esse non erubu-
erit: dicit enim apud suum Evange-
listam Matt. II. 29. *Discite à me*
quia mitis sum, & humilis corde, il-
lamquè ut fundamentum reliquarum
virtutum posuit teste D. Chrysosto-
mo hom. 15. super Christi hæc verba
scri-

scribente: Quasi fundamentum quod-dam forte, at què munitum hanc pri-mam collocavit, siquidem unusquis-que humilitate supposita tutissimè cum-cla superponit ædificans: hæc subductâ etiamsi ad ipsum usquè cælum conver-sationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atquè in finem pessimum relabuntur; nam sive ora-tionem, sive ieiunia, sive misericordi-am, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absq; humilitate congreges, statim cuncta diffluunt. Nihil est in nostris rectefactis, quod absquè ea con-sistere possit, sed sive temperan-tiam dixeris, sive virginitatem, sive pecuniarum contemptum, sive quid vis tandem, omnia impura, detestan-da, & execranda sunt si animi humi-litas desit, qui verò hoc fundamentum rectè iecerit, in quantum voluerit,

alti-

altitudinem structure excitabit. Humilitas enim (addit S. Bonaventura) est omnis nostræ virtutis, & operationis fortificativa, & omnis spiritualis roboris augmentativa , quia ponit omnes virtutes nostras, ac operationes super solidum fundamentum. Ad hanc nos cohortans S. Bernardus in sequentia prorumpit : Dilectissimi perseverate in disciplina, quam suscepistiis. & per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hec est via, & non alia præter ipsam ; qui aliter vadit, cadit potius, quam ascendit, quia sola est humilitas , que exaltat, sola, quæ dicit ad vitam

6. Nequè vero prætermitta-
da est modestia , sed exteriori quo-
què apparentia remonstranda : hæc
equidem humili cordi stipulata-
quemadmodum semel dedit, ita ei
sem-

semper assistit; in oculis demissis, in depressis supercilijs, in sermone moderato, in manibus compositis, in incessu simplici, toto demum corpore ad modestiæ leges composito, ita, ut species corporis sit simulacrum mentis, figuraquè probitatis.

7. Adimplenda quoquè venit conditio, nè sicut servi dutaxat sub lege, ut meminit S. Augustinus in Regula, sed sicut liberi sub gratia constituti jurata olim exequamur; adimpleamus. Proin libertas, seu voluntas bona, & obsequi nata, adhibenda; quia hæc valorem, pretium, & æstimationem actibus nostris inserit: eatenus contra prudentiam (sensus est Senecæ) agit, qui obsequium, & officium externa solùm facie peragit; etenim DEUS de cibis non de manibus facta metit,

acce-

acceptatquè cordata vecordia sper-
nens.

8. Revera liberam, & propen-
sam voluntatem in actibus exigit à
nobis Christus, quemadmodumquè
illam habuit promptam, dum nos
yocavit, & invitavit, ita illæsam,
quamvis sit absolutus ejusdem Do-
minus conservat, arbitrioquè nostro
relinquit, ut si perfecti esse velimus,
liberè professa missa adimplea-
mus. Hinc evidens signum, & insi-
gnis erit effectus devotionis nostræ,
si liberè, id est, non quia adstricti
mandatis; adacti Regulâ; ligati Con-
stitutionibus, sed promptis animis
servaverimus juratâ legê, custodive-
rimus statuta, æmulatquè fuerimus
charismata meliora, ac si in cumulan-
da perf. ctione Religiosa adimpleve-
rimus id, quod in construendo tēplo
Salo-

Salomonis adimpletum fuit. Utique nulla ibi fuit violentia, imò cautum, nè malleus, securis, & omne ferramentum audiretur. 3. Reg. 6. 7. Nulla fuit necessitas brachiorum robustorum, aut violentiæ fabrilis, nulla machinarum attractio; nulla scalprorum incisio, vel tonsio, aut stridula politio, ast teste Theodoreto speciali providentia DEI dispositum fuit, quòd reperti faerint lapides suapte nati, qui absquè ferro, & sinè omni arte aptè inter se conjungebantur: sic in Religiosa arte ad construendam vitæ spiritualis fabricam, errigendumvè in nobis templum vivum DEI viventis conferre vires nostras debemus, ut absquè renitentia; repugnantia; contentione; murmuratione, aliaquè quacunque

què demum violentia; ast liberrima
expeditaque voluntate singula no-
stri status; nostræ professionis, no-
stræque spiritualitatis operemur; per-
agamus. Quod, ut eveniat, det no-
bis gratiam ille, qui vivit in æter-
num. Amen.

Sermo II. pro. eadem Vigilia.

*Et ingressus Angelus ad eam dixit;
Ave gratia plena Dominus tecum;
Benedicta tu in mulieribus. Luc.
1. 28.*

I. **D**um faustissimum Virginis Ma-
riæ cum Angelo colloquium
exhilarat mentem; erigendæ quo-
què aures ad illam infaustam vira-
ginis Evæ cum callido serpente ser-
moci-

mocationem. Et vero: uterq; enim
habet quandam similitudinem con-
gressus; ast totô cælō, totô infernō
disparem. Et hic, & ibi concursus,
utrobiquè discursus inter se discre-
pantes; quia iste generat perditio-
nem, hic gignit salutem. Eva cir-
cumforanea in paradiſo collocata
vix de viro sumpta jam circumcur-
sat: Maria solitaria in templo DEI
posita, desponsata viro, sed non co-
habitans ei, nequè cognoscens vi-
rum, sola in penetrabilibus sedet;
verbum DEI & audit, & custodit.
Et Eva mulier, & Maria mulier, sed
ista rebellis DEO, incurrit maledi-
ctionem, hæc mandatis optempe-
rans supernis non solum nuncupari,
sed & re ipsa inter mulieres meruit
esse benedicta. Eva in paradiſo vo-
luptatis fructum omnigenum feren-

te po-

te posita marcida; Maria in Domo
Nazareth paupercula, florida situata.
Eva compita oberrans publici plate-
arum vagabunda depræhensa in pla-
teis civitatatis palliò spoliatur, Ma-
ria in secreto, reclusa benedictioni-
bus cumulatur. O felix solitudo,
quem non beas! O infelix publicum,
quem non perdis! O felix solitudo,
quomodo non amanda! O infelix
publicum qua ratione non vitandū!
Vitaberis à nobis Religiosis vel ex
illis motivis, quæ subsequuo adducam
discursu. A. M. D. G.

2. Plurimum vitæ Religiosæ
candori detrimenti, & in via per-
fectionis impedimenti adferre, ne-
gotijs publici, ac mundi, qui totus
est in maligno positus, Religiosos se
immiscere, abundè tum sacrorum
voluminum, tum Sanctorum PP.

pagi-

paginae indicant rei hujus momen-
tum. Enimvero quemadmodū Præ-
dicator veritatis, & Doctor Gentis-
um Paulus 2. Timoth. 2. 4 affimat:
*Nemo militans DEO implicat se ne-
gotijs sacerularibus: ut ei placeat, cui
se probavit.* Et teste D. Jacobo cap.
I v. 27. *Religio munda, & immacu-
lata apud DEUM, & Patrem hæc
est - - - immaculatum se custodire ab
hoc sæculo.*

3 Revera impossibile dixerim
nos ad perfectionis aditum, nè di-
cam culmen pertingere, animum
què nostrum illi plenè conjungere,
in quo princeps hujus mundi non
habet quidquam, quamdiu mundi
negotijs, & publici sacerularis deside-
rijs animi nostri penetralia patuerint
vel per rimas quidem. Quantum-
eunque enim Religiosus observans
sit,

fit, si attamen negotijs sacerdotalibus, conversationibusque se dedat, & scilicet consuetudinibus irretiatur, in via disciplinae Regularis, ac monasticæ observantiae retardabitur, & te pescet adeò, ut amore cultus Divini, exercitationumque spiritualium ex tincto, instar fratrio carentis ad nihilum aliud, nisi ad excursus, & discursus anhelet.

4. O nostri temporis corruptellam! frequentantur urbes, arces, & castella pro consuetudine; per ædes forensium discurrunt pro libitu; familiaris, & quotidiana cum exteris conversatio in præmialem urbanitatem exaltata est, negotiorum sacerdotalium tractandorum quæpiam peritia invirtutes monasticas est elevata: dumq; hæc singula titulô, & colore virtutum aguntur, Religiosa solitu-

solitudo patitur; vera sanctitas è cordibus nostris propulsatur, Regularis observantia enervatur, ut mi-
rum non sit, cur vestitûs vanitas;
morum sacerdotalis; verborum pro-
cacia; mentalium orationum, alio-
rumquè divinorum nausea; votorum
juratorum naufragium plerosquè
corripuere.

5. Nequè verò ad rem affrui-
tur, quod à nonnullis amatoribus
sacerdotalis publici in medium adfer-
tur, alia duntaxat nunc tempora-
fore, longeque dissita diversavè ab
illis, quæ Religionis nascentis initiō
floruere, consequenter accommodati-
vâ nunc opus esse, quâ per frequen-
tem cum sacerdoto familiaritatem a-
micos nobis devincamus, ac in
temporalibus proficiamus: non, in-
quam,

quam, hæc ad rem affruuntur; etenim Dalmata ille purpuratus D. Hieronymus in cap 5 Matth. luculentiter inquit: *In promissis veritatis nemo dubitet, sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.* Et Psalmographus P̄al. 36, 25 fatetur dicens: *Non vidi iustum decretum, nec semen eius quærens panem.*

6. Atque adeò hæc non sunt dicta pro primævis illis tantummodo temporibus, ast pro præsentibus quoq; & futuris usquè ad consumationem sæculorum.

7. Quod si vero tam necessarium sit nobis cum sæculo vinculum sodalitatis, quare, amabo, laudatus Paulus Rom. 12 2. acclamat: *Nolite conformari huic sæculo!* quare Jacobus cap. 4. v. 4. inquit: *Amicicia huius*

*huius mundi, inimica est DEI: quare
ipsa æterna veritas, Doctor, Ductor,
& Magister noster Christus JESUS
tam severè comminatur his, qui
consolationes suas in publico mundi
venantur, apud suum Evangelistam
Luc. cap. 6. v. 24. *Væ vobis divitiis
bus, quia habetis consolationem ve-
stram.* Ubi alia versio habet: *Væ vo-
bis, qui habetis consolationem ve-
stram in hoc mundo.* Dicat quiscumque
dēmum, si fas est, hæc superio-
ribus solummodo temporibus dicta
fuisse, & non præsentibus; nisi forte
dicere velit, sæcula illa prisca ma-
ligniora modernis fuisse, eorumque
conversationem Religiosæ Professio-
ni, seu perfectioni nocivam magis
fuisse, quam modernorum.*

8. Eapropter Dilectissimi à te-
poralium, & sæcularis publici desi-

N deri-

deriorum societate abstracti dele-
ctatione cælestium in interiora ra-
piantur. Simus imitatores Patrum
nostrorum, qui contemptis sœcula-
ribus dies, noctesquè in precibus
ducebant deprimentes seipso, ut à
DEO exaltari mererentur. Tumul-
tus mundi relinquamus, qui mundo
mortui per vitæ Monasticæ Profes-
sionem cæpimus vivere Christo.
Abstrahamus nos à sœculo, & elon-
gemus; fugiamus egressum è Mo-
nasterio absquè necessitate: sinamus
conversari hos, quibus ex officio,
vel potius necessitate agere cum
sœculo incumbit; nos verò jugibus
apud DEUM precibus in penetra-
libus solitudinis instantes eosdem
fulciamus, nè, cùm in turbine versa-
ri, nostriquè causâ periculum subi-

re co-

re coguntur, corruant. Quod aver-
tat ille, qui suos optimè novit cu-
stodire. Amen.

Sermo III. pro eadem Vigilia.

*Ecce concipies in utero, & paries fi-
lium, & vocabis nomen eius JESU-
SUM. Luc. 1. 31.*

I. **Q**uod olim vaticinia Prophetarum prædixerunt; quod Sancti Patres à sacerdotiis exoptaverunt, modò Mysterium Incarnationis Filij DEI jam executioni datur, Beataissima Maria Virgo Verbi Theandri; Verbi Divini Mater renonciatur; declaratur. *Ecce concipies, &c.* Pater illæ æternus solus in suo sinu Filium suum è propria substantia

N^o 2 gene-

generat in æternitate : atque adeò
Verbum Patrem habet absq[ue] ma-
tre ; Maria sola eundem Filium in
gremio suo è sua propria substantia
in tempore concipit ; sicquè Verbū
in generatione temporali Matrem
habet sinè patre. Pater æternus so-
lus illum ita generat, ut nemo hu-
jus gloriæ habeat partem ; ast &
Maria sola illum in modum Filium
suum concipit, ut sponsum habeat
Spiritum Sanctum, qui operam su-
am ad hujus Filij conceptionem
contulit , quin attamen ejus fieret
pater. Pater æternus perfectiones
suas infinitas intuendo generat Fi-
lium suum , & propterea generat
infinitè perfectum , sicut ipse est,
sibiquè in omnibus æqualem: è con-
trario, quia Maria hunc ipsum Filiū
in tempore concipit vilitatem , &
nihil-

nihilum suum intuendo: *Quia respexit humilitatem ancillæ sue.* Luc. i. 48. eapropter DEUM concipit humilem; DEUM omnibus suis excellentijs limitatum. O DEUS infinitæ Majestatis, & bonitatis, quò tuus erga nos processit amor, ut saccô mortalitatis nostræ circumdareris! O quantum solatium inde haurimus, cùm te videamus nostræ substantiæ assumere formam; nostræ miseriæ socium, & amatorem! Verè igitur dignum, & justum est, ut nos quoquè pro possibilitate nostra te amemus, prouti stimulô erunt dicenda. A. M. D. G.

2. Nihil nobis magis inculcare satagit Sanctus Legislator noster Augustinus, quam DEI amorem, & vel ideo suam Regulam ab hoc, tamquam basi, & fundamento omnis perfe-

perfectionis orditur dicens: *Ante omnia fratres charissimi diligetur DEUS.* Ante omnia; quia *hoc est primum, & maximum mandatum.* Matth. 22. 38. *Ante omnia; quoniam ipse prior dilexit nos.* 1. Joann. 4. 19. *Ante omnia; quia DEUS charitas est, & qui manet in charitate in DEO manet.* ibid. v. 16. *Cum enim verò juxta Doctoris Angelici doctrinam 2. 2. qu. 184. ar. 1. in Corp. perfectio principaliter consistat in amore DEI, idcirco ad zelum verum primò, & ante omnia, ac ad DEI amorem nos commoneri, stimulari què, ac perpetuò in eo sollicitos reddi oportebat.*

3. Amare porro DEUM, est velle illi, & procurare omne bonum, quia dignus est propter bonitatem suam infinitam. *Quod ipsum experimur in amore amici, quem diligimus:*

mus: huic enim non solum per affe-
ctum optamus omne bonum, verum
actu ipso, & effectu etiam quod bo-
ni possumus facimus, & præstamus
secundum illud tritum: probatio di-
lectionis exhibitio est operis.

4. Bonum autem DEI est du-
plex, internum duntaxat, quod DE-
US in se habet, & quod in se ipso be-
atus est, omnes videlicet ejus in-
trinsicæ perfectiones. Aliud bonum
est externum, & continet omnia,
quæ ad gloriam DEI promovendā
spectant. Bona, quæ in se ipso DE-
US habet, illi procurare haud vale-
mus, illis enim essentialiter carere
nequit, solum proinde de illis gau-
demus, & actibus complacentiæ in
illis delectamur, qui alioquin amor
affectuosus à schola Ascetologiarum
appellari conservavit. Et quamvis in
se per-

se perfectior videatur, plusquæ quietis utpote à tumultu remotior, in se contineat, plus tamen congruit statui Beatorum, quam viatorum.

5. Amor itaqùe viatorum proprius, & ad quem nos adhortatur S. Pater Augustinus, est ille, quô DEO bonum externæ gloriæ procurare velimus, & in eo consistit, ut ex amore priori, quô DEUM diligimus in se ipso, & propter se ipsum, velimus, & moveamur effectivè, & efficaciter ad procurandam ejus gloriam, quatenus bonum quoddam ejus est.

6. Posuit in eo exemplū Christus DEI Filius, qui esto nuspian à DEI cogitatione, & contemplatione cessaret, indefessò tamen simul divinæ Patris gloriæ studiò ferebatur, hancquè verbis, & factis præcura.

curabat. Ego, inquit, honorifico *Patrem meum*. Joann. 8. 49. & ad id cunctos exhortatur dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 5. 16.

7. Atque adeò bonum exterrnum, & gloriam ejusdem procurat charitas, & dilectio DEI, in qua perfectio nostra consistit, dum procuramus, ut mandata ejus observentur. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Joann. 14. 21. Quæ verba altius contemplans S. Legislator Augustinus illa ita ad nostrū propositum tr. 75. in Joann. exponit: *Qui habet mandata mea in memoria, & servat ea in vita; qui habet in sermonibus, & servat in operibus; qui habet audiendo, & servat*

vat faciendo; qui habet faciendo, &
servat perseverando, ipse est, qui di-
ligit me, opere enim est demonstranda
dilectio, nè sit infructuosa nominis ap-
pellatio. Et vero:

8. O quanti illi sunt, qui toties
repetunt: *diligo DEUM*, præcepta
attamen illius minimè curant: non
est hic amor DEI verus, quia cor ta-
lium longè est à DEO. Nos si ve-
rè diligimus DEUM, non diligamus
verbō, nequè lingua, sed opere, &
veritate, i. Joann. 3. 18. maximè cùm
amor DEI viam mandatorum ejus
reddat homini facilem, allevietquè
jugum Christi. Nihil in amore a-
sperum, nihil durum, nihil laborio-
sum ait laudatus Augustinus. Cui
adstipulatur Abbas Claravallensis S.
Bernardus dicens: *Ubi est amor non
est labor, sed sapor in eo, quod ama-
tur;*

203

*tur; aut non laboratur, aut labor a-
matur.*

9. Tunc igitur gloria DEI
externa dilatatur, & procuratur,
dum procuramus, ut mandata ejus
obseruentur, & haec est *Charitas*
DEI, ut mandata eius custodiamus.

i. Joann. 5. 3. In hac charitate quan-
tò plus progredimur, seu quo mandata
ejus custodimus, ejus-
què placitum in omnibus implemus,
tantò amplius bonum DEI externū
procuramus in nobis, tantoquè plus
perfecti reddimur: qui enim servat
verbum eius, verè in hoc charitas
DEI perfecta est. i. Joann. 2. 5.

O Domine! da, ut amor noster
erga te ita ferueat hic temporaliter,
quod etiam non refrigerascet
æviternè. Amen.

Sermo

Sermo I. pro Vigilia Vi-
sitationis Beatissimæ
Virginis Mariæ.

*Exurgens Maria abiit in montana
cum festinatione. Luc. i. 39.*

I. Posteaquam cælestis illa Ange-
lorum Regina montana pe-
tijsset cum festinatione, & suum ho-
magium Elisabeth reddidisset, audi-
vissetque ab ore ejus inaudita laudū
præconia, illicò humillima, & gra-
tissima Virgo in laudes DEI pro-
ruperit dicens: *Magnificat anima mea
Dominum. Luc. i. 47.* Magnus ille
agnoscitur Citharædus suâ citharâ
dulciter canens, & dæmones pro-
fligans harmoniaca virtute: nota
quidem singulis edisceretur figura,
Davi-

Davide in cithara personante, Saulis obfessum animum princeps tenebrarum deserebat. Procertò mirares, Zabulus musicâ fugatur, & qui secundùm Husæum Vatem Job. 41. 18. sagitas habet admodum paleas, & lapides fundæ tamquam stipulas spernit. Ad citharæ sonitum tremefactus recedit, & qui nulli vi cedit, harmoniâ colligatur. Claudit procertò cithara illa symbolum. Figura illa erat, hic veritate redundat: hic completur, impletur vè, quod ibi figurabatur. Istò canticò expellitur dæmon, Præcursor sanctificatur, puer exultat, mater prophetat. Istò, istò canticò modò cum devotè canitur crediderim meritò dæmones pessimos effugari. Hinc meritò à cunctis fidelibus hoc canticum maximè celebratur, & summa recolitur

tur devotione. Eatenus Dilectissimi! exurgamus & nos cum Maria, & ascendamus in montana cum festinatione, ut digni inveniamur occinere melos, quemadmodum illa cantavit. Ast quæ anima jacet in cæno vitiorum quomodò festinabitur quibus quidem eradicandis quoniam plurimum obsistat non recta ordinatio propensionum naturalium; hinc porrigam methodum illarum bene regendarum, & moderandarum dicendis. A. M. D. G.

2. Propensiones naturales ex temperamento procedentes qualitatum non quidem eradicari, attamen regi, bene dirigi, & ad bonum applicari possunt, & debent; eapropter minus prudenter quispiam allegaret, haud posse contra, talem se habere naturam, ejusmodi præditum se tem-

se temperamentō, quodd suas quoquē patiatur verucas. Enimverò quamvis absquē propria nota hujuscemodi naturam, talequē temperamentum fortitus sit, haud tamen laudabile censetur, imò culparum omnium causa à schola Ascetarum asseritur, naturae habendas laxare, propensiones, in fræno non tenere, & ad obsequendum rationi, & gratiæ non adigere; equidem temperamentum indifferenter se habet tam ad bonū, quam ad malum, hinc ad virtutem non ad vitium dirigendum, soliquē, & unicæ nostræ perversitati adscribendum, dum illud concredimus malo.

3. Quod si verò sciri desideratur quod pactō unusquisquē temperamentō suō (cujuscunquē demum illud generis sit) ad bonum uti, &
ad vir-

ad virtutem qualiter illud debeat applicare, accommodarevè sit obli-
gatus: aperio, quod sentio, arcanum pando. Et quidem: proæprimis, ut temperamentum, seu propensio ex temperamento originem ducens ad illam virtutem inclinetur, & aplice-
tur, quæ huic temperamento maxi-
mè consentanea, conveniens, & ac-
commodata est: deinde, ut tempe-
ramentum, ejusquè propensio violen-
ter abstrahatur ab illo vitio, in quod immediatè propendet, & inclinat.
Atque adeò melancholicus, & atræ
bilis haud studere debet, ut suæ
melancholiæ frangat penitus vires,
hoc namquè foret corvum lavare,
sed, ut illam ab illo vitio abstrahat,
in quod propendet, & ad virtutem
applicet, quæ melancholiæ maximè
conveniens esse censetur. Inde est,
quòd

quod plurimum sibi caveat oportet,
nemini ordinata quapiam sacerdotali,
seu mundana tristitia animo dejiciatur,
aut aliqua pusillanimitate obru-
atur; in ejusmodi siquidem vitium
atrabilis vel maximè propendet, ast
necessè, internæ animi recollectioni,
& compunctioni satius studeat, re-
rumque cœlestium meditationibus
vacet, quia huic virtutum exercita-
tioni melancholicum temperamen-
tum adeò consonat, & deservit, ut
non alteri magis.

4. Pari modo Cholericus at-
tendere debet, ut retrahat, cohibe-
atque se ab omni effervescentia ad-
versus proximum suum, in quam
cholera vicese tendit, imo potius
calore suo feratur zelo gloriæ divinæ
promovendæ, divinisque obsequijs,
ut illa debito cum fervore, ardore

O obeat,

obeat, & alacritate, huic namquè virtuti ignis cholerae per optimè famulatur.

5. Sanguineus illas, velim, observet leges, quibus necesse habet omni cura, & industria evitare dissolutionem, suique in res vanas diffusionem, quâ sua complexio fertur, quin imò totum suum contentum, gaudium, & solatum in DEO, qui est lætitia ineffabilis, rebusquè cælestibus, quæ omnem exuperant sensum, collocet, & reponat.

6. Phlegmaticus item omni nisu, & conatu allaboret, ut otium, & accediam fugiat, quâ maximè impugnatur, seque patientiâ, humili de se sentire, cui apprimè phlegmaticus humor consonat, muniat, & armet.

7. Gnavi quoquè, & vivacis genij,

genij, utatur hōc suō geniō non qui-
dem ad vanitatem, & crepundia
mundana, ast ad operum virtuosos-
rum executionem. Ille vero, qui
facilis, & flexibilis est complexionis,
caveat nē se malorum ingerat soci-
etati, quorum principijs ad illa, quæ
vetant præcepta divina, perduca-
tur, sed illorum, qui probatæ cen-
sentur esse virtutis utatur familia-
ritate, eorum què placita arripiat,
ijsquè obsecundet, utpote ad virtu-
tis exercitium aptis, & natis. Ani-
mo autem duriori, vellem, durius
uteretur ad perseverantiam in pro-
positis constantem, neutiquam au-
tem ad obfirmandam in malo obsti-
nationem. Idem de reliquis formari
potest discursus; equidem nullum
phlegma datur, quō ad aliquid ad-
minus virtutis exercitium uti haud

O 2 que-

queamus, dummodò illud à vitio,
in quod propendet cohibeatur, fræ-
netur.

8. Assumamus igitur Dilectissimi velut galeam omnimodam nostri ipsorum dissidentiam, ut amur admodum gladij assidua, & fervente oratione, sicquè his armis præmuniti animo generosò aggrediamur propensiones, quas ex nostro temperamento habemus in vitium nobis familiare, & mediante examine particulari sedulè, & constanter prosequendo, sensim, & sensim abstineamus, & subducamus nos ab actibus vitiosis, in quos, & quales prefatæ propendent propensiones, paulatim què, & gradatim asfefiamus exercitationi illius virtutis, cui respondent dictæ propensiones; fidem unicuique facio, si in hoc examine fervens, & con-

213 us

constans fuerit, breve post temp
propensionem suam in ordine ad v
tium adeò confringet, & suæ subju
gabit potestati, quod in futurum ad
nutum virtutis in linea sit famulam
adepturus. Quod, ut eveniat, ani
mitus exopto. Amen.

Sermo II. pro eadem Vigilia.

Abiit in montana. Luc. i. 39.

UT primūm conceptam semper
in virtutibus exurgentem, &
ad culmina gratiarum abeuntem,
montes ingentium conscendentem
meritorum fuisse Beatissimam DEI
Genitricem, qui recte credit, nullus
hucusquè dubitavit. Nunc attamen
specialiter exurgit, montana conscen
dit

dit charitatis proximi motivō stimulata. Charitas fecit illam exurgere; charitas impulit ad ambulandum; charitas deduxit in civitatem Juda ad domum Zachariæ; charitas vocem salutationis in aures Elizabeth expressit, & infantem in utero fecit exultare Joannem. Zelus divinæ gloriæ, quæ ex sanctificatione Joannis debebat provenire effecit, ut nulli parceret labori, imò cum festinatione quasi curreret ad opus charitatis Joanni per peccatum originale gravato exhibendum. Succurrit Joanni, affert recens pistum panem, panem vitæ calidum, panem vitæ, & intellectus. Quo pane Joanni venit vita gratiæ, ut à morte peccati originalis abolutus signa vitæ ederet latando, innovaret naturam propter eum, qui est innovatus ea,

rus ea, quæ sunt super naturam. Intellectus quoquè venit ei teste S. Ambrosio in c. i. Luc. *Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Atque adeò Mater Sanctissima Verbi Patris æterni, Johanni suam non negavit charitatem, quō pactō ostendit, ut & nos illam proximo nostro non negemus. Non negabimus, si vel illa altius perpendimus, quæ adducam dicendis.
A. M. D. G.

2. In persona proximi nostri Christum debemus intueri. Dicit enim ille apud suum Evangelistam Matth. 25 42. *Quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mibi fecisti.* Is latet in hoc paupere, in hoc misero, in hoc inimico, qui tam atrox cordi inflixit vulnus; qui toties derisit, subsanavit, calumniavit, im-

properavit, ad iracundiam provo-
cavit. In his non minus verè est,
quamquam modò penitus diversò,
quàm in Sanctissima Eucharistia;
cùm utrumquè verbô DEI æqualiter
natur. Si vilitas, si miseria hujus
illiusvè pauperis; si minus culti, ur-
baniquè hujus, illiusvè fratriis mores
pariunt quandam aversitatem, Ma-
jestas Christi, quæ hos incolit, re-
verentiam imprimat, & charita-
tem inspiret, oportet. Si injustitia,
& crudelitas hujus inimici excitat
bilem, benignitas, & mansuetudo
Christi, qui in hoc inimico degit,
iracundiam comprimat, animum
mitiget. Nè putetis (inquit Sanctus
Augustinus trac. super Psalmos)
gratis esse malos in hoc mundo, & ni-
hil boni de illis agere DEUM. Omnis

malus

*malus aut ideo vivit, ut corrigatur,
aut ideo vivit, ut bonus per illum e-
xerceatur.*

3. Et pergit ulterius S. Legis-
lator dicens: *Utinā ergo qui nos modò
exercent, convertantur, & nobiscum
exerceantur: tamen quam diu ita
sunt, ut exerceant non eos oderimus:
quia in eo, quod malus est quis eorum
utrum usque in finem perseveraturus
sit, ignoramus. Et plerumquè cùm
tibi videris odiſſe inimicum, fratrem
odisti, & nescis. Diabolus, & angeli
eius in scripturis sanctis manifestati
sunt nobis, quod ad ignem aeternum
sint destinati. Iporum tantum despe-
randa est correctio, contra quos habe-
mus occultam luctam, ad quam nos lu-
ctam armat Apostolus dicens: Non
est nobis collectatio adversus carnem,
& sanguinem: id est, non adversus
homi-*

homines, quos videtis, sed adversus principes, & potestates, & rectores mundi, tenebrarum harum.

4. Revera qui proximum, qui fratrem offendit DEUM ipsum offendisse sciat, necesse. Etenim, ait apud suum Prophetam (Zachar. 2. 8.) *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Itaque supremæ Majestati illi neutiquam sufficit afferere ab eo, qui fratrem egit in offensam, dicere: DEO ipsi injuriam irrogavi, ast superaddit in ipsa quoquè oculi læsi pupilla, hoc est, in tenerrima parte, & impatientissima doloris. Revera non mediocre vulnus est, quod oculi infligitur pupillæ; quodlibet vulnus maximum, nec levis momenti illi affert dolorem. Ita amor ille quò Christus in suos ducitur fratres, facit, ut quodvis malum, quò tan-

gun-

guntur, non ut malum duntaxat, ast,
ut maximum consideret malum, quô
magis moveri videatur, quam eô,
quod sibimetipsi obtingit.

5. O si in persona proximi no-
stri ipse Christus quampliam gratiam
à nobis postularet, si obsequium quod-
dam exigeret sibi exhiberi! utique
nullus foret, qui id ei denegaret, imò
se nimis honoratum, & felicem re-
putaret, omniumquè gratiarum ma-
ximam censeret, habere occasionē,
& commoditatem gratū quid Chri-
sto præstandi! Jam autem, si obsequi-
um quodpliam proximo nostro Chri-
sti amore præstamus tam securi su-
mus nos id obsequij Christo præ-
stare, ac esse possimus, si id ipsius
Christi præstemus personæ. Soli
sensus nostri, qui fallere nos possunt,
in hocce rerum statu hujus nos red-
derent

derent securos: fides verò, quæ imponere nobis non potest, id nobis pollicetur in occasionibus, quæ nobis quotidie suppetunt abundè, charitatem erga proximum nostrum exercendi. Fateatur igitur modò quilibet, charitatem sibi minimè deesse, nisi quia fidem non habet. Heu! cui fides deest, & charitas, quis nisi ethnicus, & reprobus est!

6. Quapropter Dilectissimi! assyescamus se qui consilium Apostoli, vel potius præceptum Servatoris, quod mandat Christum intueri in proximo nostro; tum difficilè nobis non accidet ei facere bene, sed longè difficiliùs ei malum inferre. Quam gratiam det nobis, qui etiam pro inimicis oravit: *Pater ignosc illis.* Amen.

Sermo

Sermo III. pro eadem Vigilia.

*Exurgens Maria abiit in montana cū
festinatione. Luc. 1. 39.*

1. **H**AUD dubiè instinctum habuit Sanctissima DEI Parens, & Verbi in se incarnati, & Spiritus Sancti, qui in eam supervenerat, montana descendere, Elizabetham visitare, Joannem salutare. Huic inspirationi promptissimâ obedientiâ mortem gessit, nequè dignitatem maternitatis Divinæ in se respiciens submissa humilitate ad inferiores se progressa est. Haud valebat ferre humiliis Filij DEI præsentiam, humiliis Matris DEI, ancillæ Domini vocem superbus hostis possessor Joannis; haud quiverat ille, qui effutivit;

vit: *Ascendam*, *lisi. 14. 14.* descen-
sum Deiparæ ad hancce demissam
visitationem, & salutationem suffer-
re, ast è vestigio, ut facta est vox
salutationis Mariæ in auribus Matris
infantis Joannis, illicò evasit, ex-
cessit, foras erupit inimicus: unde
Joannes mox exultavit pondere pec-
cati, & compedibus sathanæ libera-
tus. Atqueadeò Maria DEI Mater,
Regina cæli, Domina mundi, humiliat
se ad matrem hominis, ad ancil-
lam, servam, & subditum, nobis
præbens exemplum, ut nostram su-
perbiā humilitatis virtute vinca-
mus, frangamus, supprimamus vel
illis, quæ subsequo adducam discur-
su. A. M. D. G.

2. DEUM fore omnia, & nos
non esse nisi purum nihil; DEUM
possidere omnia, & nos nihil habere
præter

præter miseriam, & paupertatem;
DEUM posse omnia, & nos posse
nihil excepto peccare, nosquè per-
dere, luce meridiana clariùs patet.
Nos nihil sumus de nobis ipsis, ast
per humilitatem nos deprimendo e-
levamus nos ad DEUM, unimus
nos DEO, & inde evadimus magni.
Fateri cogimur nihil nos possidere
ex nobis ipsis, ast per humilitatem
unimus nos DEO, ipsequè se nobis
impertit & omnium bonorum nos
participes reddit, sicquè ditescimus,
& omnia possidemus. Nos nihil pos-
sumus à nobis ipsis, ast humilitas,
quâ nos elevamus ad DEUM, Di-
vinæ potentiae participes nos facit,
ut potentes evadamus, & omnia pos-
simus juxta illud Doctoris Gentiū
Philipp. 4. 13. effatum: *Omnia pos-
sum in eo, qui me confortat.* O nihil-
lum

lum glorioſum! O dives paupertas!
 O felix impotentia, quam in nobis
 humilitas gignit, quæ cunctarum ne-
 cessitatium nostrarum suplet deſſectū,
 & cum quā omnia nobis pariter ve-
 niunt bona, & innumerabilis hone-
 ſtas per manus illius nobis accerſi-
 tur.

3. Fateor: cum humilitate vi-
 tia, & peccata ceſſant eſſe pernicio-
 ſa, aſt ſinē humilitate virtutes, &
 bona opera evadunt periculosa, imo
 & perniciosa fieri poſſunt. En! vide-
 amus: Publicanus miser eſt, & ma-
 gnus peccator, aſt humiliſ eſt adeò,
 ut oculos in cælum levare, & ad
 altare accedere reformidet, atquè
 causam ob illam sanctus evadit, &
 ipſiusmet DEI elogio dignatur. Pha-
 rifæus virtuteſ suas effert ad aſtra,
 cuncta ſua bona opera publicam
 pro-

protrahit in lucem: si prius justus
 fuerat, ubi superbit, peccator eva-
 dit, dumquè sibi applaudit, à DEO
 judice æquissimo reprobatur, da-
 mnatur. Quanta non est humilitatis
 potentia! E scelerato efficit sanctū.
 Quantum non est veneni superbiæ!
 Ex justo magnum in momento effi-
 cit peccatorem. Duo homines ascen-
 derunt in templum, ut orarent: unus
 Pharisæus, & alter publicanus. Pha-
 risæus stans, hæc apud se orabat: DE-
 US gratias ago tibi, quia non sum
 sicut ceteri hominum: raptiores, iniu-
 sti, adulteri: velut etiam hic publica-
 nus. Jejuno bis in Sabatho, decimas
 do omnium, quæ possideo. Et publi-
 canus à longè stans nolebat nec ocu-
 los ad cælum levare: sed percutiebat
 pectus suum dicens: DEUS propitius
 esto mihi peccatori. Dico vobis de-

*scendit hic iustificatus in domum suā
ab illo: quia omnis, qui se humiliat
exaltabitur, & qui se exaltat humili-
abitur. Luc. 18. 10. & sequ.*

4. O si pensiculatiū inspicere
vellemus! O si diligentius nobis in
memoriam revocaremus! Certè in-
veniremus nos magnopere DEO
obstrictos fore, vel ex eo, quod sa-
lutem nostram ex humilitate nostra
pendere voluerit, & non ē nostra e-
xaltatione. Et quemadmodum non
omnes ascendere, sequē evehere
possunt, ita nemo est, qui descendere,
& se deprimere non posset. Non o-
mnes grandia pro DEO præstare,
nec grande quid ad ejus gloriam
audere valent, ast nullus est, qui se
deprimere haud possit. O quam co-
piosus est numerus eorum, qui emi-
nens quodpiam orationis donum
habe.

habere haud valent! Sed nullus est,
qui se in oratione demittere, & hoc
pacto multum praestare non possit,
quamquam in oratione nihil praesta-
re, exhiberetque censeatur, & vide-
atur. Nemo semper potest omnia
bona, quae vult, agere, ast proficuum
sibi reddere potest statum suum, &
ob eundem coram supra illa Ma-
jestate submissae se gerendo, bonum
illud, quod non agit, supplere. Non
potest semper orare, semper jejuna-
re, semper plorare, continuas vigi-
lias, vel saltem frequentes ducere,
ast humiliare se semper potest, &
valet. O humilitatis virtus inestimabili
margarita! via brevis, facilis,
secura attamen, & tuta, modico
sumptu ad magnam sanctitatis, &
perfectionis felicitatem perveniendi,
pertingendiv.

5. Eatenuis Dilectissimi! quandoquidem humilitas via brevis est,
& lecura ad sanctitatem pervenendi, statuamus ab hinc eam ingredi,
& petamus à DEO, cùm ipsem et in ea præcesserit, ut nobis gratias, ex
suo inexhausto thesauro largiatur,
quibus nobis opus est ad illum se-
quendum. Amen.

Sermo I. pro Vigilia Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis.

Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. 42.

I. **A**ssumptionem Virginis Sacra-
tissimæ Mariæ in illa supernæ
Jeru-

Jerusalem tabernacula, consummationem fore illius sanctitatis merito dixerim. Et verò: utique cælestis Genius illam à tempore Mysterij Annunciationis nominat, vocatque gratiâ plenam! Quanta igitur fuit plenitudo hujus gratiæ in momento mortis ipsius! Maria à primo conceptionis momento sublimior in gratia, ardentior in charitate fuit, quam Seraphini, quanta ergo fuit gratia, quanta charitas in ultimo ipsius puncto! DEUS ipse, qui tot gratijs eam cumulabat, earum optimè scit mensuram. Enimverò qualia fuere incrementa hujus gratiæ per totum ejus vitæ tractum, qui ad duos, & septuaginta, ut aliqui volunt, se extendit annos! ad quem charitatis cumulum in morte non pertigit illa, quæ gratiæ, tanta fidelitate respondit,

dit, quantâ pura alia creatura haud capax est respondendo: adeò, ut singulis momentis gratiâ non solum cresceret, sed etiam geminaretur. Charitatem hujus cælestis Reginæ dicere audeo tam perfectam in mortis articulo fuisse, ut omnium Sanctorum conjunctim supergressa sit charitatem, eamquè non tam mortuam fuisse ob naturæ defectionem, quam ob vim amoris. Justi moriuntur in amore DEI, Martyres pro amore DEI, ad Mariam pertinet mori vehementiæ amoris DEI ergo. Verè præclarum exemplum! Quôfulti, ut nos accuratiū exerceamus in eodem, adminiculō erunt dicenda. A. M. D. G.

2. Amor non tantū amantiū corda unire, in unum conflare; ast unum quodammodo alterum se efficiere

cere consyevit: amans enim vero
vult, ut in amatum transformetur.
Si terram amaveris (inquit D. Le-
gislator noster Augustinus In canon.
Joann.) *fies terra; si dilexeris cælum,*
*cælum eris; si DEUM, audeo di-
cere, DEUS quoquè fies.* Imò id-
ipsum Domini Propheta Ose. 9. 10.
insinuavit dicens: *Facti sunt abomi-
nabiles, sicut ea, quæ dilexerunt: tam-*
quam vellet dicere: quod mutetur
amans in objectum amoris. Hanc
ob causam Aristoteli, amicus dicitur
alter ego. Marsilius Ficinus in com-
ment. ad Platon. dicit, amorem fo-
re speculum amici, in quo sui ima-
ginem, atquè yeram effigiem queat
speculari: & si amor reciprocus sit,
reciprocum quoquè ejus effectum.
Videndum igitur in quem scopum
cordis

cordis nostri desideria tendant; si enim ea in DEUM ferantur, DEO conjungemur, & Divinæ efficiemur participes naturæ. Quô sanè nihil dignius, nihil excellentius excogitari potest. Quantæ, quæso, nobilitatis, quantæ dignitatis est, DEO uniri! *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est.* I. Cor. 6. 17.

3. Nequè vero unio hæc a transformatio, est naturalis, ast supernaturalis; non enim mutatur natura unius rei in aliam, sed mutantur corda, affectus, desideria, & tota vita. Ita mater (teste Lud. Grande perfectione amoris DEI c. 1.) quæ impensè filium diligit, sui quodammodo oblita, id agit, quod novabit utile filio suo; flet cum flente, arridet ridenti, infirmo confirmatur, omnisquè ejus cura, & cogitatio in illo,

illo, & pro illo est: adeò quidem, ut quemadmodum umbra corporis imitatur omne id, quod facit corpus, & sequitur ejus motus, atquè figuræ; sic quoquè si videre nobis fas daretur duo illa corda, cerneremus quale unum est, tale alterum quoquè fore, accidentiaq; & motus, quæ in uno mutantur, in altero etiam mutari. Anima ergo, quæ taliter in DEUM amore fertur, transformatur in illum, ita, ut quidquid ille vult, & ipsa velit; & quidquid displicet DEO, animæ quoquè displiceat: quidquid ille amat, vel odit, idem & illa amet, & oderit; nec rationem habet sui, ast solius DEI, ejusdemquè gloriæ promovendæ. Atque adeò in omnibus, & per omnia, est ipsi, DEO

Velle duobus idem, nolle duobus idē.

4 Mu-

4. Mutata porro voluntate propria in voluntatem DEI, illico mutatur & vita, singulaquè opera, quæ ab illa procedunt. Ut namquè cùm resecatur ab arbore ramus, & surculus illi inseritur, fructus, qui in illo surculo nascuntur, non jam amplius sunt naturæ illius resecati rami, ast surculi inserti: ita abscissa voluntate hominis, & illâ DEI insertâ, fructus verborum, operum, & cogitationum, quæ ab illa derivantur, non sapiunt jam ultra voluntatem hominis antiquam, ast DEI recentem, novamvè. Atque adeò quisquis avet cognoscere an cor suum unitum cordi Dilecti, cuius deliciæ sunt, esse cum filijs hominum, videat an amore in ea feratur, in quæ ille fertur, oderit, quæ illi sunt adversa; & in singulis ejus consentiat voluntati.

5. Quia

5. Quia vero unio esse haud possit præterquam inter res, quæ habent quamdam adinvicem similitudinem (ut bene observat Lud. Gran. de perfect. amoris DEI c. 10) (nequè etenim aqua potest uniri igni, aut oleo, nequè ferrum cretæ, eò, quòd hæc dissimilia sint) hinc cor DEO uniendum habeat quampiam similitudinem illius necesse, quæ quo major erit, eò etiam perfectior conjunctio erit cum DEO.

6. Trinam autem proprietatē in DEO observat Plotinus Philosophus, quas homo habere debet, si uniri desiderat DEO. Enimvero DEUS est unus, & summus, & bonus. Adeoque, inquit, qui uniri vult bono, eique similis effici, debet abstinere ab omnibus malis; qui summo, ab omnibus inferioribus;

qui

qui uni, à multis. Quō locō paucis
verbis tres gradus tradit ad dictam
necessarios unionem. Primus, & sum-
mè necessarius est, abstinere ab o-
mnibus rebus malis: hoc est, ab o-
mnibus peccatis. Secundus, & per-
fectior est, abstinere ab omnibus re-
bus inferioribus, vilibus, & abjectis,
tametsi malæ non sint: ut vacare
negotijs sacerdotalibus, contractibus,
commercijsquè &c. quamvis enim
hæc illicita non sint, tamen exerci-
tium horum vile, & abjectum, &
servo DEI indignum, nisi forte aut
obedientia, aut charitas aliud postu-
lent. Tertius est perfectissimus ab-
stinere à multitudine occupationum,
quamvis nec malæ sint, nec viles;
sed bonæ, dummodò sunt superfluæ,
hoc est, quando occupationes plu-
res sunt, & graviores, quàm ut de-
bili.

bilitas corporis nostri valeat ferre.

7. Eatenus Dilectissimi! Velimus DEO uniri bono! declinemus à malo. Velimus conjungi summo! quæ sursum sunt queramus, sapiamus, non quæ super terram. Velimus adhærre unicō! nolimus erga plurima turbari neq; in multis sint actus nostri, ast unum petamus, unū requiramus, uni intendamus, qui nobis intendit unicus Dilectus cordis nostri, ut illi unusquisque nostrum cum Sponsa illa cælesti Cant. 2. 10. dicere possit: *Dilectus meus mibi,*
& ego illi. Et rursus: *Ego Dilecto*
meo (ibid. 7. 10.) *& ad me conver-*
sio eius. Quod, ut eveniat, cordi-
 citus opto. Amen.



Sermo

Sermo II pro eadem Vigilia.

Maria optimam partem elegit. Luc.

IO. 42.

I. **N**ullus intellectus concipere, nulla lingua edicere valet, quanto gaudio perfusa sit Mater illa Divina primo intuitu inaccessibilis claritatis divinæ, in qua velut in speculo lucidissimo cognovit æternum DEI erga seipsam amorem, æternamquè sui in Matrem Verbi electionem. O quantum illud gaudium fuit, quod habuit ex dulcissima salutatione Filij sui! ex prædulci osculo SS. Trinitatis! ex plenitudine amoris, quô, inquantum possibile est creaturæ capere, anima ejus impleta, corquè liquefactum in tantum

tum, ut Sanctorum multitudo ex
ejus ardore, novo quodam incandu-
erit fervore! ex splendore divino
totum corpus ejus penetrante, &
illustrante, ita, ut cælum à gloria
ejus illustraretur, & illustretur! Glo-
ria Mariæ respondit, respondetquè
ipsius humilitati. Decebat, ut ea
supra omnes creaturas evehernetur,
quæ humillima erat inter omnes.
Hæc æquè, ac Filius suus dici potest
ad tam sublimem gloriam ascendis-
se, quia in tantam se demiserat pro-
funditatem. O profunditas, quantæ
sublimitatis es fundamentum! O de-
missio in quam sublime fastigium e-
vehis te diligentes. O despicientia
sui, quantum mereris exaltari! Utinam
possideas corda, & intelligen-
tias nostras, ut te toto corde adame-
mus vel hâc methodô, quam ulte-
riori

riori adducam discursu. A.M.D.G.

2. Qui gloriæ cupiditate flagrat, solidam, veramquè gloriam quærat est necesse. Ast ubinam veram, & solidam inveniet, nisi in despicientia sui, contemptu, & depressione! Nequè verò majus quid inveniri potest ac gloria DEI, cùm sit bonum infinitum quodammodo; bonum divinum: & quemadmodum hoc, ita majus quid, nobisque gloriōsius haud potest excogitari, quam eam promovere. Exemplum Servatoris nostri id nobis ostendit, humilitate, suique contemptu, & despicientia haud fore medium efficacius ad illam comparandam. Et verò: Nonnè ille Patris sui gloriam tunc vel maximè manifestavit, quū fuit contemptus, & despectus, tunc duntaxat, dum cælestes illi genij cho-

choros, melosquè duxere: *Gloria in altissimis DEO.* Luc. 2. 14. Tunc, cum Pater æternus ostendit Filium suum, æternæ scopum fore oblectationis. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. 17.

3. Nec dicat quis, velim, unquam nos sublimiores, & gloriosiores, ac tunc, dum proprius accedimus ad originem gloriæ, & sublimitatis. Ergo Christus Homo-DEUS veræ gloriæ, & sublimitatis non est origo, fons, & scaturigo! An igitur unquam sublimiores, & gloriosiores sumus, quam ubi proprius accedimus ad ipsum! Atque adeò propiores ad ipsum haud quampiam vice accedimus, quam ubi humiles, & humilitatis gratiâ nostri despicientiam amamus.

4. Quod si vero perfecti, uti
Q status

status nostræ Professionis, & Vocationis id à nobis postulat, si sanctitatis, & innocentiae stollâ superindui exoptamus, humiles simus, oportet: & tunc sanè nostri contemptum, & despicientiam adèò dilexerimus, quod melius unquam. Jam verò sanctitas, & perfectio nostra in similitudine cum Christo, & in cordis, animique cum ipso conformatioне consistit. Hinc simul & Christiani, minus Religiosi esse valemus, & hac de re dubio quōpiam teneri. Nequè hanc cum ipso conformatioне possumus habere, si non amamus, si non aestimamus, si non magnifacimus, si non amplectimur, quod ille amavit, aestimavit, magnificat, & amplexus est, nempe humiliationem, despicientiam, & contemptum. Utique illius tota quanta vita non fuit, præterquam perpetua.

perpetuum exercitium humilitatis;
 præterquam continua series depres-
 sionis! An ergo ei similes, perfecti-
 què esse possumus, si eum hac in li-
 nea non imitamur! Etenim si nostri
 despiciēntia perfectionis nostræ est
 basis, & fundamentum, tunc amor
 Christi meritò est culmen ejusdem.
 Et nequè melius amorem nostrum
 ei valemus testificari, quām si ejus
 amore, reclamante quamvis naturæ
 genio singulos, qui nobis obveniunt,
 patienter sufferamus contemptus,
 convitia, improperia, contumelias,
 subsanationes.

5. Fateor, quod sentio, vitam
 nostram, nihil præter pacem, redde-
 re beatam: pacem verò nullò tu-
 tiùs, quām depressionum, despicien-
 tiarumvè posse conciliari amore.
 Anima enim, cui apprimè est despi-

cientia sui ipsius, mira semper perfruitur tranquillitate. Et nequè est aliud quidquam, quod nostram perturbet pacē, quam aestimatio, quam alij de nobis præferunt, parva. Quòd si verò nostri despicientiam amamus haudquam valemus cōmoveri, turbari què, dum habemus, quod prosequimur amore. Revera id, quod non rarò nobis molestiam parere consuevit, est contemptus. Ast dum nobis despiciuntur, occasiōni haud parcimus, ut contemptorem non inveniamus, quo cum rixemur.

6. Quare dilectissimi! petamus à Christo Domino per ipsius humilitatem, & contemptum, ut gratias nobis largiatur ad se sequendum, & imitandum, & nostri despicientiam saltē cum patientia toleran-

lerandam; si tantum animi non habemus, ut eam amemus. Attamen allaboremus quoquè, ut eam super aurum, & topazion diligamus, & merebimur respici æviternè. Amen.

Sermo III. pro eadem Vigilia.

Maria optimam partem elegit. Luc.

10. 42.

I. **Q**uòd Mater DEI Beatissima Maria Virgo hodie cælum ascendit, quòd ad dexteram Filij sui sit collocata, ut hominum in se susciperet patrocinium, factum fore ambiguitate caret. Verebaris (sensus est Bernardi) ad Patrem accedere: dedit tibi Filium suum mediatorē; sed forsitan etiam Filij Majestas,

festas, quia DEUS est, te terret;
dedit Matrem suam post Filium;
mediatrixem: accede igitur confi-
denter ad hunc gratiæ, & miseri-
cordiæ Thronum: subinde citius au-
dieris, dum Matrem accedis, quām
si illicò accedas Filium; non, quòd
ea plus, quām ipse potestatis habeat,
& misericordiæ; siquidem quidquid
illa habet, ab illo habet: ast quòd
Filius, tametsi misericors, simul quo-
què justus, tametsi Servator noster
est, tamen Judex quoquè sit. Si pri-
mum nobis inspirat confidentiæ sen-
sum, alterum nobis imprimit timo-
ris. Ast in Maria nihil est, nisi miser-
icordia, nihil, nisi tenerrimus amor.
Itaque quantumcunque miseri, &
peccatores sumus, accedamus ad
Mariam non tantum sine timore,
sed etiam cum confidentia certum
habe-

habentes nos intercessione ejus fore felices, uti patebit ex dicendis.

A. M. D. G.

2. Efficacissima ac magni valoris, cælestis, & purissimæ Virginis Mariæ, pro parte miserorum peccatorum, coram divino conspectu intercessio, omni dubio caret, si vel exemplum, quod nobis Romanorū subministrant fasti, accuratiū expendatur. Et vero: cùm enim Romulus Romanæ Urbis fundator, Urbem illam inclytam, & opulentissimam sine sodalitate mulierum cæpisset ædificare, decrevit populis finitimi Sabini duntaxat, conviviu fraudulentum celebrando præparare. Cùmquè singuli mediæ accumberent mensæ: Hem! Romani vim, & violentiam attentantes virgines Sabinorum agressi, Romam introeuntes

cum

ipsis matrimonium contraxerunt, ex illisquè filios suscepérunt. Quâ in-juriâ Sabinî perculsi, & lacesiti, dies post paucos manu armata con-tra Romanos assurèxerunt, qui singuli ad invicem crudelissimum, & sanguinolentum prælium inierunt.

3. Cùm igitur tantus conflictus attentatus fuisset, & mulieres Sabinæ ex muris Civitatis contem-platæ fuissent sat magnam occisorū stragem, accipientes, portantesvè in ulnis parvulos suos ipsa Urbe exierunt, ac in medio utriusque exercitus collocatæ facies ad Sabinos ver-tentes eis dicebat: O Sabini! cesset obsecramus prælium hoc cruentum. Enimverò si Romanos interficitis, profectò generos vestros, & filiarū vestrarum viros, & parentes interficitis nepotum vestrorum. Rursum ad Ro-

ad Romanos orationem suam convertentis, ipsos hunc in modum alloquebantur: Extinguatur, obsecramus, O Romani, incendium iræ vestræ; si enimvero interficitis Sabinos, avos filiorum vestrorum, & parentes interemitis uxorum vestrarum.

4. Dictæ tantam efficaciam habuéræ rationes, ut projectis armis parte ab utraquè, sese ad invicem amplexati sunt sibi paulò contravenientes. Quod fædere inito, ex populis Sabinorum, & Romanorum factus est populus unus, hoc duntaxat discrimine interveniente, quod uterquè eorum signa, & stemmata observare volebat.

5. Stemma Romanorum erant quædam aquilæ in campo ceruleo: stemma vero Sabinorum erant quatuor

tuor illæ literæ: S. P. Q. R. Quidā autem ex Romanis prudens, ac disertissimus vir, de hac re in Senatu verba faciens dixit: Ne propter hoc ulla habeatur dissensio, aut differentia: nam si Sabini per illas quatuor literas rem unam significare volunt, Romani aliam per easdem quatuor literas longè diversam significabunt. Sabini per illas quatuor literas stemma quoddam magnum, ac superbū significare volunt: duntaxat, Sabini populis quis resistet! Romani verò per easdemmet respondebunt: Senatus, populusquè Romanus.

6. Hæc singula divino successui DEUM inter & homines possumus applicare. Enim verò bella erant perpetua creatorem inter, & creaturas: homines namquè DEUM adversus suum vitijs, ac sceleribus præliaabantur

bantur; ast DEUS ipse de hominibus
vindictam sumebat illos sàverè, ac
cum maximo puniens rigore. Vi-
dens autem hoc Sacratissima Virgo
Maria, sese inter Patrem àternum,
& homines cum puerô JESU in ul-
nis posuit gestatò dicens: Placetur,
obsecro, & mitigetur àterne DEUS
ira tua: etenim si homines interficis,
parentes meos quidem, sed & uni-
geniti tui Filij, interficis tempo-
rales. Et vos, o peccatores! nè ultra
progrediamini cum superbia vestra;
arma projicite culparum vestrarum,
nec amplius bellum DEO vestro,
& Sponso inferatis Hæ rationes hu-
jus cælestis Reginæ tantam efficaciam
habent, ut omnia placent, &
ad pacem, atquè concordiam redi-
gant cuncta.

7. Quòd si DEUS per illas
qua-

quatuor literas vult significare: Sanctus, potens, qui regnat: nos per eas literas dicemus (siquidem tu, o Domine! habes officium Salvatoris) Salva populum tuum (per Mariam) quem redemisti. Atque adeò id, quod DEUS per illas literas significat, nos invitat ad hoc, ut ipsum diligamus, & reverentiali timore vereamur, atquè ei maxima promptitudine obediamus. Quod autem nos per illas significamus, DEUM (si ita dici potest) obligat, ut nobis remedium adhibeat, favorem præstet, atquè in cunctis necessitatibus auxilietur per Mariam.

8. En modo! quisquis te intelligis (verba sunt Bernardi hom. 2. super Missus est) in huius sæculi profuvio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quam per terram ambula-

bulare: nè avertas oculos à fulgore hu-
ius, si non vis obrui procellis. Si in-
surgent venti temptationum, si incur-
ras scopulos tribulationum, respice
stellam, voca Mariam. Si iactaris
superbie undis, si detractionis, si æmu-
lationis, respice stellam, voca Mariam.
Si iracundia, aut avaritia, aut carnis
illecebra naviculam concusserit men-
tis, respice ad Mariam. Si criminum
immanitate turbatus, conscientiae fæ-
ditate confusus, iudicij horrore perter-
ritus, barathrō incipias absorberi iu-
sticie; desperationis abyssō, cogita
Mariam. In periculis, in angustijs, in
nebus dubijs Mariam cogita, Mari-
am invoca. Non recedat ab ore, non
recedat à corde, Q[uod] ut impetres eius o-
rationis suffragium, non deseras con-
versationis exemplum.

O ergo!

O ergo! Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro tuis clientibus, sentiant tuum juvamen, qui tu am celebrant solemnissimam Assumptionem. Amen.

Sermo I. pro Vigilia Nativitatis Beatissimæ Mariæ Virginis.

*Liber generationis JESU Christi.
Matth. I. 1.*

INon origo quidē Mariæ (hanc enim ipsi quoquè Evangelistæ silentiō prætereunt) sed nostra renascentia in Natalitio Mariæ nobis pensanda venit magna cum animi lætitia, gaudio, & hilaritate. Et vero: pro-

rò: prodit in mundum è costa viri
formata Eva, & mox ad primam il-
lius comparitionem prope fit regnū
Asmodæi, ad Mariæ primam conce-
ptionenī, primumquè ingressum, &
ortum in mundum, prope fit, imò
adest regnum DEI. Propter Evam
peccatum, propter Mariam gratia
regnavit in genere humano. Per E-
vam vñ mundo à scandalis, per Ma-
riam Ave mundo à gratijs. Illa vñ
attulit homini, hæc ab homine abstu-
lit vñ. Eva luctus mundi, Maria
gaudium universi. Eva mater mortis,
perditrix gratiæ, perditionis incen-
trix; Maria genitrix vitæ, inventrix
gratiæ, salutis reparatrix. Atque adeò
nascente hac Sacratissima Sobole
cælesti Virgine Maria, omnes cum
illa nati sumus DEO, & cælo. Pa-
tebit hoc vel ex illis, quæ ulteriori
addu-

adducam discursū. A. M. D. G.

2. Quamvis iniq[ue]itas nata sit
ex matre Eva, non habuit tamen
patrem Adamum, sed potius princi-
pem laci inferioris asmodæum; hinc
qui volebat hanc prolem superare,
& devincere, necesse fuit ipsius pa-
tris prius confringere phalanges.
Non habuit attamen mundus per
tanta millia annorum hominem ta-
lem, qui peccatus tam crudeli oppo-
suissest tyranno, eumquè vicisset.
Omnes enim in Adam peccaverunt.
Usquè ordinatione Divina appro-
mittente adhuc in paradiſo, quæpiā
Soboles huic superbo iniq[ue]itatis pa-
renti debuit, habuitquè conterere
caput fastuosum. *Ipsa conteret caput*
tuum. Hæc Soboles prædetermina-
ta, ut in caput contereret iniq[ue]-
tem. Et quod olim fuit tantum ap-
pro-

promissum, hoc ipsum effectus mon-
stravit Annō 738. post ruinam Ro-
manæ Urbis Olimpiadæ ejusdē tem-
pore Consulū Romanorū Furnij,
& Junij Sylvani, Imperij Cæsaris
Augusti, in Civitate Galilææ Naza-
ret, ubi hæc pretiosissima Soboles
Sanctissima Maria Virgo per Ange-
los Parentibus Joachim, & Annæ
nunciata cælitùs, nata est. Hæc e-
nimvero quia sine peccato concepta,
& nata est, contrivit caput patris
iniquitatis, quō ipso nos morti tra-
ditos, renasci fecit DEO, & cælo.
Quemadmodum enim fortis ante
adventum in mundum Mariæ, fuerat
iniquitas, nosquè omnes tradidit
morti per peccatum primorum pa-
rentum, ita post illius nativitatem,
hanc penitùs amisit, & nos mortui
cælo, iterum renati sumus cælo; ha-

R be-

bemus enim, dummodò velimus,
illud obtinendi, defactò libertatem:
atque adeò nativitas Virginis Mariæ
est nostra renascentia DEO, & cælo.

3. quæ quidem veritas quam-
vis sit seipsà patens, cùm sit articu-
lus fidei, attamen fulcitur quoquè
testimonio SS. PP. Ex quibus pri-
mus occurrit D. Legislator noster
Augustinus, qui serm. 10. de Sanctis
ita habet: *Hæc est flos campi, de qua*
ortum est lilyum onwallium pretiosum,
per cuius partum mutatur natura pro-
toplastorum, deletur & culpa. Mater
generis nostri pñnam intulit mundo,
Genitrix Domini nostri salutem intu-
lit mundo. Auctrix peccati Eva, au-
ctrix meriti Maria. Eva occidendo
obfuit, Maria vivificando profuit.
Illa percussit, ista sanavit. Hac sola
ratione S. Epiphanius Hereticis o-
culos

culos pungebat, dum identidem
asserebat: verè à Maria vitam mun-
di genitam, ut viventem gigneret,
& fieret viventum Mater. Hanc
quoquè propugnat veritatem & S.
Cyrilus hom. contra Nestorium, &
hoc quod scripsit ipso proprio san-
guine cum vita conjuncto subscriptis:
*Per te Sancta DEI Mater, homo ipse
ad cælum revocatur.*

4. Asserti partes tuentur non
modo SS. Doctores, ast ipsa quo-
què nomina Mariæ, & Evæ defen-
dunt. Annunciando namquè San-
ctissimæ Virgini Gabrìel Archange-
lus Filij DEI Incarnationem talem
ad illam legationis cælestis orditur
salutationem: *Ave Maria.* Quod
verbum: *Ave* retrogradè lectum,
significat: *Eva.* Ecce edocuit nos
hicce SS. Trinitatis Emissarius Ma-

R 2 riam

riam contrariam Evæ. Significabat Maria Evam, sed modō contrario: ergo & qualitates, ac proprietates Mariæ fuisse necessum iri proprietati- bus, & qualitatibus contrarias Evæ. Et quia *oppositorum, opposita ratio habenda:* sequitur: si Eva nos occidit in anima DEO, & cælo; Maria nos vivificavit, & penes Nativitatem suam, renascere nos fecit DEO, & cælo. Et hoc sœpè practicatur: *Conveniunt rebus, nomina sœpè suis.* Quē admodum magnum malum Evæ no- men notatur. *Eva, Ah vœ.* Vœ to- ti progeniei Adæ; perditio nostra! Maria verò significat: Dominam, libertate plenam; ab hoc omni malo, prout illi penes legationem Ange- lus nunciando Mysterium Incarna- tionis uberrimè explicavit, immu- nem: *Ave gratiâ plena.*

5. *Quod*

5. Quod si verò status gratiæ principium suum acceperit ab Au-thore gratiæ Christo, ergo & ab il-lius Sanctissima Matre Virgine Ma-ria; etenim quod est causa causæ, est quoquè causa causati. Si autem sta-tus gratiæ cœpit cum Maria, nullus dubito gratiam nobis natam cum illa. Si gratia nata est nobis cum Maria; ergo cum Maria nati sumus DEO, & cœlo.

O salve itaquè nobis serenis-sima proles! gaudemus vehementer de tua Nativitate rogantes, ut quē-admodum te mediante nati sumus DEO, & cœlo, ita te quoquè inter-veniente illi vivamus & temporal-i-ter, & æviternè. Amen.



Sermo

Sermo II. pro éadem Vigilia.

*Jacob autem genuit Joseph virum
Mariæ, de qua natus est JESUS,
qui vocatur Christus. Matth. I. 26.*

I. **Q**uemadmodum Patriarchæ illi
Jacobo de Josephi generatio-
ne, Josepho de conjugio Mariæ, ita
nos nobis gratulari oportet in nata-
litio ejusdem. Jacobo aggratulandū
est, quia genuit filium, qui meruit
esse Sponsus Mariæ; Josepho, quia
præ mille alijs electus est castissimi
conubij custos; nobis denique, quia
nobis nascitur vita. Revera vita est
Maria, quia quos amat, non patitur
perire: Vita est, quia contraria Evæ,
quæ mortem nobis in mortu pomi in-
corporavit: Vita est, quia JESUM
nobis

nobis genuit omnis vitæ authorem:
 Vita est, quia pluribus mortuis redi-
 tum obtinuit ad temporalis lucis u-
 suram, & nè æternum perirent, spa-
 tium pænitentiaæ impetravit: JESUM
 nobis ex austero mitem, ex severo
 misericordem, ex aspero reddidit
 lenem. Atque adeò quām obligati
 simus Mariæ, quod per illam JE-
 SUM habeamus misericordem, pa-
 tebit vel ex illis, quæ ulteriori addu-
 cam discursu. A. M. D. G.

2. JESUM fore Nazarenum,
 hoc est, floridum, imò ipsum flore,
 peroptimè notum. Si autem quærat
 quis undenam suam habeat dulcedi-
 nem, & odorem suavissimum re-
 spondeo: à virga, & radice. Audia-
 mus Domini Prophetam de JESU,
 & Maria vaticinantem: *Egredietur
 virga de radice Jesse, & flos de radice
 eius*

eius ascendet. Isa. II. I. Ubi per vir-
gam Mariam, per florem filium Ma-
riæ intellexit. Ast cur tantam Regi-
nam comparat? quare non potius
Palmam, vel Cedrum, aut Olivam
appellat. Magis hic nostrum sola-
tium attendit, ac spectat Virginis
honorem: imò Virginis ampliat ma-
jesteiem. Nonne virga sinè difficul-
tate flectitur, & inclinatur; Palmam
verò, Cedrum, & Olivam citius
franges, ac flectes. Virga sic flecti-
tur, & inclinatur, ut simul inclinet
& fructum. Cui asserto pulchrè, ut
assolet, alludit Cherub Marianus D.
Bonaventura in spec. c. 13. dicens:
Si hunc florem habere desideras, vir-
gam floris precibus flectas: si flos est
nimiris altus divinitate; virga tamen
est flexibilis pietate.

3. Placet hic meminisse virgæ
illius,

illius, quæ de petra mcl, & oleum
elicuit de saxo, uti innuit canticum
Ductoris Iṣrāēlis Moysis Deut. 32.
12. Hacce de petra, tamquam ubere
mellis non postremum quid apud
Doctorem Gentium reperitur, vel
rarius apud Rabbinos, quorum me-
minit Haymo in c. 10. i. Cor. Apo-
stolus Paulus ibi v. 4. inquit: *Bibe-*
bant autem de spiritali, consequente
eos, petra. Syrus legit: *Bibebant de*
petra, quæ cum ipsis veniebat. Hinc
bino in loco Tertullianus de bapti-
smo c. 9. & adversus Marcionem l.
3. c. 5. S. quoquè Ambrosius in Psal.
38. & l. 5. c. 1. de Sacramentis: sub-
infert dicens: *Non immobilis petra,*
quæ Christum sequebatur. Ast pā-
ctō quō, & cur sequebatur? Rabbini
reponunt, Mariam sororem Moysi,
petram

petram ad pectus suum tamquam monile appensum gestasse. Placet Rabbinorum assertum.

4. Petra Christus est, quemadmodum loc. cit. Apostolus inquit, ex qua profluunt aquæ cælum, & terram irrigantes; hanc autem petrā Maria Christi Mater ad pectus suum gestavit, juxta quod habetur Cant. i. 12. *Inter ubera mea commorabitur*, sicquè emollivit, ut nulla durities remaneret, effectaque sit oleo mollior, & dulcior melle.

5. O Pectora Religiosa! si sitim pati non vultis, si misericordiam cupitis experiri, Mariam honorate, Mariam invocate, nec DEUM petræ instar rigidum vobis fore existimate. Qualis Mater, talis Filius: uterque oleo levior, dulcior melle. Quod ipsum quoquè sentit peculia-
ris Ma-

ris Mariæ cultor S. Bernardus, dū
serm. 10. de Nativit. Domini in hæc
verba prorumpit: *Dulcis Dominus,*
dulcis Domina; quia ille Dominus
meus, misericordia mea: hæc Domina
mea misericordiæ porta. Felix terquè,
quaterquè fortunata, & optata porta,
quæ pandit ingressum non minus ju-
stis, quam peccatoribus detestan-
tibus peccata.

6. Nequè verò ausos fuisse in-
trare stabulum Bethlehemi tres illos
Reges possum dicere, nisi ibi fuisset
cum divino punctione etiam Mater.
Et hic est sensus Lactei Doctoris,
qui serm. 2. de B. V. ita habet: *Ma-*
gi non sive Maria, Matre eius, puerum
invenerunt, ausim dicere, nec inven-
turos. Quod prudenter potest ex il-
lo devotæ animæ suspirio conjectu-
rari, quæ Cant. 8. 1. inquit: *Quis*
mihi

michi det te fratrem meum fugentem
ubera matris meæ, ut inveniam te fo-
ris, & deosculer te, & iam me nemo
despiciat! Foris extra tribunal, extra
thronum, extra regiam, in brachijs,
in sinu, ad ubera Matris, cuius lac-
magis te mansuetum facit, ac dulcorat,
quam Pauli decollati lactifluus cru-
or in carnificis tunicam incidens il-
lum mansuetum fecerit, & dulcorabit.
Audiamus Chrysostomum apud Me-
taphraustum dicentem: *Animam illius
barbari supra modum dulciorum red-
dens, fidelem effecit.*

7. Eapropter Dilectissimi non
abeamus à Matre, quæ nobis Filiū
tam mansuetum, tamquæ lenem ef-
fecit, ast sanctissimis pedibus ejus
advoluti cum Mellifluo Bernardo
serm. 2. de Adventu Domi. clame-
mus: *Copiosa caritas tua nostrorum
coope-*

cooperiat multitudinem peccatorum,
 Et fecunditas gloriae fecunditatem
 nobis conferat meritorum. Quod, ut
 eveniat, candido exopto corde. Am.

Sermo III. pro eadem Vigilia.

Liber generationis JESU Christi.

Matth. I. I.

IN nativitate Principum vehe-
 menter gaudere solemus; ast
 immerito: hi etenim prouti alij, na-
 scuntur peccatores, ita æquè ac cæ-
 teri ad miseras condementur. Imò
 lachrymis suis, quas non minus,
 quam alij homines fundunt, lætitia,
 quâ eorum natalis honoratur dies,
 detestari videntur. Procul est ab hac
 infelicitate Nativitas Mariæ, cum
 Ma-

Maria, ut sit misera, non nascatur,
quia ex eo, quo nascitur, tempore,
non tantum sancta, sed & omnium
sanctissima est creaturarum Gloriosa
dicta sunt de te civitas DEI. Psal.
86. Hoc est: divina Maria. Funda-
menta eius in montibus sanctis. Id est,
ut D. Gregorius explanat: Tu gra-
tiā sublimiorem te invenis sub vitæ
tue initium, quam sublimissimi Sera-
phini, quam Sanctorum præcipui in
apice sanctitatis, & glorie suæ. Hæc
Virgo est ille mons, quem Propheta
Domini vedit in altissimorum mon-
tium positum summitate. Et erit
mons Domus Domini in vertice mon-
tium. Ifa 2. 2. Quanto hoc tibi ho-
nori est Sanctissima Virgo! sed &
nobis quanta solatij causa! Merito
revera Ecclesia canit: Nativitas tua
DEI genitrix Virgo gaudium annun-
ciavit

ciavit universo mundo. Id, quod par-
tebit ex dicendis. A. M. D. G.

2. Nativitas Virginis Beatissi-
mæ gaudium primò annunciatæ
sanctis ejus Parentibus Joachimo,
& Annæ, quia tanta filia nata est eis,
quam nimirum didicerunt Genij cæ-
lestis nunciò futuram Messiæ Ma-
trem. Eatenus si Abraham in Iosæ
natali, si Anna in Samuælis, Zacha-
riæsq; in ortu Joannis gaudiò sunt
repleti, eò quod intellexerint fore
eos coram Domino magnos, tanto
magis Mariæ Parentes in ortu filiæ
tantæ! O! quomodo non lætaretur
paupercula quædam mater, quæ pa-
reret prolem, quam nōset futuram
Episcopum, vel Cardinalē, vel Re-
gem, aut Reginam! quæ quidem ad
dignitatem Matris DEI minimè va-
lent comparari.

3. Se-

3. Secundò: Natalis Virginis
 Beatissimæ gaudiô fuit Patribus in
 limbo detentis, quia hâc natâ nun-
 ciatus est eis dies secutura jam jam,
 liberationis post tam longam nocte,
 juxta illud, quod habetur Isa. 9. 2.
Populus, qui ambulabat intenebris,
vidit lucem magnam: habitantibus in
regione umbræ mortis lux orta est eis.
 O! quantô nos gaudiô perfundere-
 nunt si post longam aliquam noctem
 v. g. 30. aut 100. annorum alicubi
 moras trahente sole reverteretur ad
 nos lux, & aurora, quos plausus, &
 jubila ederemus! Ast multò longior
 fuit nox illorum Patrum: atque adeò
 nemo, velim, dubitet, quin hanc diē
 lætissimis vocibus, & plausibus ex-
 ceperint.

4. Tertio: Natalis Virginis
 Beatissimæ gaudium attulit Angelis
 in cæ.

273

in cælo, quia nata est eis Mater Domini illorum per quem acceperunt innumerabilia charismatum bona, illuminationem reliqua inter, perfectionem, & beatificationem; ac per quem restaurandæ erant ruinæ perfidorum angelorum. Nonnè exultavit in utero matris Joannes ad præsentiam, & adventum Matris Domini sui? quis dubitet exultasse & in cælo Angelos ad ortum Matris Domini sui? Quod si verò lætantur Ægyptij viso altè increscere Nilō, quia nōrunt hac ratione agros fæcundari, magnamquè sibi proventuram messem? tanto potiori jure lætantur Genij cælestes luce hodierna, quia vident nasci Virginem, quæ partitura erat illis Dominum suum, à quo maximis ipsi bonis partim affecti, partim afficiendi, & ordines eo-

S rum

rum redintegrandi cælumquè totum
beatis replendum erat. Quòd si ve-
rò Domino apud Lucam cap. 15. 7.
attestante gaudium sit Angelis DÆI
super uno peccatore pænitentiam a-
gentes! quantò magis super ortu Ma-
riæ, cuius ope, & beneficio omnes
peccatores erant pænitentiam acturi,
quotquot erant acturi!

5. Quarto: Natalis Virginis
Beatissimæ gaudiō fuit ipsi DÆO,
quia perfecit opus præstantissimum,
& dignum Filio suo habitaculum
extruxit. Ita enim verò latatur arti-
fex cùm consumavit opus quodpiā
præclarum & Cedrō dignum. Atquè
eatenus DÆUS, cùm perfecisset fin-
gula opera initiō creationis, vidis-
setquè cuncta, quæ fecerat esse valde
bona, requievit ab omni opere, e-
gitq; diem Sabathi festum. Atta-
men-

meri eo tempore terreno solum Adamo servo suo præparaverat habitaculum præsentem videlicet mundū. Quanto magis ergo credimus lata-
tum cùm præparaverit Filio suo ha-
bitaculum animatum, Virginem dun-
taxat Mariam: Spiritus item San-
ctus lètatus est in ortu Mariæ, quia
invenit domū, & templum perpetuò
sibi dicatum. Quemadmodum gau-
det Dux occupato quopiam inexpu-
gnabili castello. Cæteri mortalium
singuli contristant subinde Spiritum
Sanctum, cùm vel in peccato na-
scantur, vel in peccatis vivant.

6. Denique Natalis Virginis
Beatissimæ gaudium affert universo
mundo, equidem hodie illuxit ei au-
rrora, post ignorantiae, & gentilismi
tenebras longiores adducens solem
Justitiae Christum JESUM. Eapro-
pter

pter quemadmodum aurora ægris levamen, jactatis in mari tranquillitatem, hominibus, & animalibus omnibus diem amantibus gaudiō est, ita & Nativitas Virginis Mariæ omnibus hominibus, justis, & peccatoribus solatium, & fiduciam parit. Audiamus Salomonem Cant. 6. 9. sic de Maria modulantem: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Unde Rupertus libro 6. in Cant. *Quando nata es (inquit) ô Virgo Beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuncia diei sempiterni;* quia sicut aurora finis est præteritæ noctis, & diei sequentis initium, *sic nativitas tua finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiae, & lætitiae nobis extitit principium.* Et quemadmodum in aurora prodeunt aviculæ ad cantum, ita post orum

tum Mariæ cœpit ad DEI cultum
genus mortalium exhilarari.

7. Eapropter Dilectissimi! gau-
deamus & nos luce hodierna, & ne-
què gaudeamus tantummodo, ast
gaudij quoquè hujus amplectamur
fructus. Si nobis aurora illuxit, sva-
su Apostoli Rom. 13 13. & 14. Abii-
ciamus ergo opera tenebrarum, & in-
duamur arma lucis, sicut in die honestè
ambulemus, non in commessionibus,
& ebrietatibus, non in cubilibus, &
impudicitijs, non in contentione, &
æmulatione, sed superinduamus Do-
minum JESUM Christum, sicquè
induti constanter incedamus donec
vitæ nostræ felicissimus advenerit

F I N I S.



INDEX

I N D E X

Rerum Præcipuarū quæ
in hoc Opusculo conti-
nentur. Litera F. deno-
tat Foliū; Litera N. Nu-
merum.

A.

Adami peccatum quorum causa f. 128. n. 1 hoc in nos omnes per naturalem propagationem diffunditur f. 137. n. 1.

Amicitia inter Jonatham & Davidē. f. 29. n. 6.

Amor DEI erga homines. f. 138. n. 1.
hujus conservandi media. f. 230.
n. 2. & sequ. hominis erga
DEUM. f. 197. n. 2. & sequ. re-
quirit observantiam mandato-
rum DEI. f. 202. n. 8. & 9.

Antiquitatis convivium. f. 98. n. 6.

Arca

Arca dum introducta fuit Jerosolymam, qualis solemnitas! f. 76.
n. 1.

Artis opera in eodem statu non permanent semper. f. 131. n. 2.

Asveri convivium. f. 98. n. 5.

C.

Charitas erga proximum. f. 215. n. 2.
& sequ.

Christus est exvinculator noster. f.
3. n. 2. Fidejussor. f. 6. n. 3. Medicus. f. 9. n. 4. Alitor, & Pater familias. f. 12. n. 5. Servator.
f. 15. n. 6. in præsepi jacens quæ nos docet! f. 38. n. 7. cur pauper natus! f. 20. n. 2. & sequ.
humilitatis exemplum. f. 149.
n. 2. & sequ.

Cithara Davidis Dæmonem fugat.
f. 204. n. 1.

Constantia in bono, syadetur à Ber.
nar-

nardo. f. 44. n. 4.

Convivium Afveri Regis. f. 98. n. 5.

D.

Despicientia sui amanda. f. 240. n.
2. & sequ.

DEUS per Filium suum misertus est
nostr. f. 4. n. 2.

Doctor quidam in Sacra Theologia
afferens Virginem Beatissimam
culpæ originali subjacuisse, mor-
te repentina punitur. f. 134. n. 4.

E.

Eucharistia Cœna magna. f. 78. n. 2.
in hac velat se Christus Domi-
nus speciebus panis. f. eod. n. 3.
pulcherrimus in hac. f. 80. n. 4.
cur post Cœnam instituta! f. 89.
n. 1. cur Cœna magnâ. f. 91. n.
1. ad sanitatem animæ subtilissi-
mus cibus. f. 93. n. 2. confert
vitam

vitam æternam. f. & n eod. ac
sequ. accedit in DEUM cha-
ritatem. f. 97. n. 4. in hac à
Christo sanctissimum conviviū
præparatum. f. 98. n. 5. ad hanc
non accedat peccator, nisi pæ-
nitentiâ præmissâ. f. 107. n. 2.
& sequ.

Eva colloquium cum serpente dispar
colloquio Mariæ cum Angelo.
f. 186. n. 1. hæc contraria Ma-
riæ. f. 187. n. 1.

F.

Filij DEI amor erga homines. f. 29.
n. 6.

G.

Gaudium Mariæ in introitu ad Cæ-
lum. f. 238 n. 1.

Generatio Christi f. 195. n. 1.

Gloria Mariæ respondet ejus humi-
litati. f. 239. n. 1.

Grati-

Gratitudinis exemplum David. f. 52.

n. 1.

H.

Hadriani Imperatoris liberalitas. f. 8.

n. 3.

Hebræorum servitus dura extitit. f. 3.

n. 2.

Humilitas Mariæ super alias creaturas gloriam promeruit in cælo.
f. 239. n. 1. amplectenda. f. 180.
n. 5. f. 223. n. 2. & sequ. f. 149.
n. 2. & sequ. hujus exemplum
Beatissima f. 147. n. 1. Christus
Dominus. f. 149. n. 2. & sequ.

I.

Impatientia nostra. f. 37. n. 6.

Incarnatio Christi. f. 195. n. 1.

Inspirations Divinæ sequendæ. f.

221. n. 1.

L.

Lex professa custodienda. f. 167. n.

2. f. 173. n. 7.

Li-

Liber qualis exponitur ab Evangelista f. 117. n. 1.

M.

Magi singuli singula obtulerunt munera f. 41. n. 1.

Mariæ colloquium cum Angelo disper colloquio Evæ cum serpente. f. 186. n. 1. hæc confregit caput diaboli. f. 256. n. 2. hâc natâ, nati sumus DEO, & cælo. f. 257. n. 2. & sequ. hæc vita nostra. f. 262. n. 1. per hanc JESUM habemus misericordem. f. 263. n. 1. & sequ. hæc contraria Evæ. f. 187. n. 1. hujus gaudiū in introitu ad cælum. f. 238. n. 1. ejus gloria respondet humilitati illius. f. 239. n. 1. illius humilitas f. 47. n. 1. præmiatur. f. 175. n. 1. hanc inter, & Evæ discrimen. f. 254. n. 1. hæc in virtu-

virtutibus exurgens. f. 206. n. 1.
hæc Mediatrix nostra. f. 245. n.
1. & sequ. hujus natalis verum
gaudiū parit f. 269. n. 1. hujus
paupertas. f. 157. n. 1. huic pec-
catum actuale, etiam veniale
imputare, foret scelus impijissi-
mum. f. 120. n. 2. huic potuit
DEUS conferre privilegium,
quod æquivalueret justitiæ ori-
ginali. f. 121. n. 3. hæc ab origi-
nali peccato præservata. f. 120.
n. 1. & sequ. non subjacerat
peccato Adami. f. 130. n. 1. &
sequ. f. 138. n. 1. sinè peccato o-
riginali concepta. f. 139. n. 2. &
sequ. hujus natalis gaudium an-
nunciavit ejus Parentibus. f.
271. n. 2. Patribus in limbo. f.
272. n. 3. Angelis. f. eod. n. 4.
DEO. f. 274. n. 5. universo
mundo. f. 275. n. 6.

Me-

Medici diversō modō curant suos
patientes. f. 142. n. 5.

Methodus bene regendi, & ordi-
nandi propensiones naturales.
f. 206. n. 2. & sequ.

Minima curanda. f. 67. n. 2. & sequ.
observanda. f. 168. n. 3. & sequ.

Modestia custodienda. f. 182. n. 6.

Mundus contemnendus. f. 26. n. 5.

N.

Nativitas Christi lætitiam parit. f. 1.
n. 1. quos fontes lætitiae aperit.
f. 3. n. 2. & sequ. Mariæ verum
nobis gaudium parit. f. 269. n.
1. gaudium annunciat ejus
Parentibus. f. 271. n. 2. Patribus
in limbo. f. 272. n. 3. Angelis.
f. eod. n. 4. DEO. f. 274. n. 5.
universo mundo. f. 275. n. 6.

O.

Obedientia tenenda. f. 178. n. 4.

Obe-

Obedientis veri gradus. f. 178. n. 4.

P.

Pauperes à DEO curantur. f. 20. n. 2.
Paupertatem odiō habent homines
mundani. f. 23. n. 3.

Paupertatis Religiosæ origo. f. 159.
n. 2. hæc non infructuosa. f. 161.
n. 3. & sequ.

Perseverantia quid? f. 44. n. 3. sva-
detur. f. 45. n. 5. & sequ.

Principum natalis immeritum gau-
dium parit. f. 269. n. 1.

R.

Religioso quæ DEUS contulit? f. 55.
n. 4. f. 57. n. 5. omnibus virtu-
tibus debet esse ornatus. f. 177.
n. 3. & sequ. hi conformem vo-
cationi vitam agant. f. 63. n. 1.
publicum fugiant. f. 188. n. 2.
& sequ.

Reno-

Renovatio votorum, cur intra O
ctavam Epiphaniæ à nobis sit?
f. 42. n. 2.

S.

Scoti oratio Virgini Beatissimæ pla-
cens. f. 135. n. 5.

Servitū DEI gustuofum. f. 147. n. 1.
V.


Verbum DEI caro factum est. f. 31.
n. 1. cur abbreviatum. f. 33. n. 2.
hoc Infans JESUS quomodò
nobis loquitur? f. 34. n. 4 & sequ.

Virtus sectanda f. 26. n. 5. hæ custo-
diendæ. f. 166. n. 1. sine humili-
tate periculose. f. 224. n. 3.


Visio Daniélis. f. 18. n. 1.

Voluntas bona adhibenda in obser-
vantia Regulari. f. 184. n. 8.





D. VI:40



741910 Bibliotheca 500,-
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej



03722

